Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Simonius

Joannis Simonii Megapolitanorum

Fasciculus I. : Joannis Simonii Heros Megapolitanus. Divi Uldarici, Ducis Megapolitani ... Res illustres, vita & mors: quatuor Orationibus ... diversis temporibus ab auctore scriptis, & in Academia Rostochiensi publice recitatis expressae. Qui est Heroicorum Megapolitanorum Fasciculus. I.

Rostochii: Typis Reusnerianis, 1605

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485

Band (Druck) Freier Zugang

PUBLIC DOMAIN

Mk_1430 1-3
~~Mk_1430~~ 3.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0002
DFG

JOANNIS SIMONII

HEROS Megapolitanus.

DIVI VLDARICI,

Ducis Megapolitani, Principis vetustæ gentis Heneta, Administratoris & Comitis Sverinensis, Rostochij & Stargardij Dni,

Res illustres, vita & mors:

quatuor Orationibus:

PANEGYRICO:
NATALI:
PARENTATIONE:
PARENTALIBVS anniversarijs primis:

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

diversis temporibus ab auctore scriptis, & in Academia ROSTOCHIENSI publicè recitatis:

expressæ.

Qui est
Heroicorum Megapolitanorum
FASCICVLVS. I.

ROSTOCHII
Typis Reusnerianis. Anno 1605

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0007
DFG

V. D. M.

VERBVM DEI MANET.



PRO CHRISTO ET PATRIA.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0008
DFG

SERENISSIMAE AC POTENTISSIMAE Principi ac Dominae, Dn.

SOPHIÆ,

Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gothorum REGINAE, Principi Megapolitanæ, Duci Schlesvicensi, Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ: Comiti in Altenburg & Delmenhorst, viduæ: Dominæ meæ clementiss:

nec non

Illustrissimæ Celsissimæq; Principi ac Dominæ, Dominæ

ANNAE,

Principi Pomeraniæ, Duci Megapolitanæ, vetustæ gentis Henetæ Principi, Comiti Suerinensi, Rostochij & Stargardij Dominæ, viduæ: Dominæ item meæ clementissimæ.

DIvi VDALRICI Heroïs patris
inclita proles,
O SOPHIE! pietas quam clarant, factaq; dia
Majorum: cui Cæsareus, Septemque viralis,
Regalisq; Ducumq; inflammat stemmata sanguis:
Quam populus, gelidas qui se diffundit ad Vrsas,
REGINAM agnoscit: quæ magnanimo FRIDERICO;
Dania cui, latis exultans finibus, ulnis
Ivit in amplexum passis, & paruit ingens;
Iuncta thoro, Heroem CHRISTIANUM; sidera & orbis
Arctous, nymphæq; maris quem poplite adorant
Inflexo; atq; VDALricum; cui timpora circum
Regali accensa ingenij genioq; deoq;,
Sacratum, serpit, decus, infula; progenuisti!

Quam

Quam Rex, cuî, claro se attollens lumine, surgit
Anglia, cuî servit Scotus, cuî vastus Hibernus;
Cuî Musæ, cuî Najades, cuî dulcia pangunt
Carmina Nereides: quam Saxo, clarus avorum
Majestate, piâ clarus virtute fideq;
In Rectorem orbis Septemvir: Guelphica stirpis
Gloria Witkindæ, quam Iulius ille Henricus:
Quam Ianus, decus Holsatum, Dux, lumen, Adolphus
Svavicrepa Te voce Socrum blandâq;
salutant.
O sidus nostri augustum & Lña incluta secli!

Tuque, Vdalrico vidata Heroe marito,
Anna, chori lux feminei: laus maxima magnæ
Gryphorum gentis: decus ô decus addita primi

Principibus! stirpem quæ factis ac pietate
Exuperas: sanctis pietatem moribus ornas:
Mater egenorum: probitatis regula sancta!

O animæ, cœlo non inficianda propago!
Mẽte serenata, quæso, vultuq; benigno
Accipite hæc diviq́ue PATRIS, diviq́ue MARITI
Facta, perennanti Musarum digna cothurno.
Vos decet ille labor. vestra est laus sancta PATRISq́;
Atq; Mariti omnis. sic vestrum perpete curru
In seros annos transcribat Gloria nomen.

Ropchio Kal. Ian. 1605.

V. S. I M.
&
V. C.
humilimus servitor
Ioannes Simonius.

TEMPORA recitationum.

PANEGYRICVS nomine Academiæ exhibitus, 20. Martij, 1599.

NATALIS publicè recitatus est 22. April. 1600.

PARENTALIA solemniter facta 28. April. 1603.

PARENTALIA anniversaria prima, ex reverendi Concilij decreto, in frequentissima clarissimorum & doctissimorum hominum corona, ex publico loco facta, 14. Martij, 1604.

Peragabantur omnia in
ACADEMIA ROSTOCHIENSI.

VL.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0013
DFG

VLDARICVS,

DVX MEGAPOLITANVS, VEtustæ gentis Henetæ Princeps, Administrator & Comes Sverinensis, Rostochij & Stargardij Dominus:

CHRISTIANI IV. Daniæ, Norvegiæ, Vandalorum & Gottorum Regis;

VDALRICI Propræsulis Sverinensis, heredis Norvegiæ;

FRATRVM CLARISS.

AVVS MATERNVS:

IACOBI I. Angliæ, Scotiæ, Franciæ & Hiberniæ Regis;

CHRISTIANI II. Septemviri Saxoniæ:

HENRICI IVLII, Brunsvicensium & Luneburgensium Ducis:

IOANNIS ADOLPHI heredis Norvegiæ, Ducis Holsatiæ:

SOCER MAGNVS:

Nascitur Sverini A. C. 1527. Apr. 22.
Episcopæ Administrationem subit A. C. 1550.
Ducatus patrij gubernationem suscipit A. C. 1554.
Denascitur Gustrovij A. C. 1603. Martij 14.

Germaniæ Nestor: Patriæ pater: Ecclesiæ & Academiæ Scholarumq; Evergetes: Orthodoxè-Catholicæ Religionis dextera: Imperij oculus: virtutum thesaurus: orbis Saxonici inferioris Exarchus: Princeps Religiosus: Iustus: Pacificus: Felix: Incomparabilis.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0014
DFG

ORATIO PRIMA.

Panegyricus.



I DEO OPTIMO Maximo, pio Academiarum auctori & conservatori, pro immortalibus ejus in nos remq; hanc literariam meritis unquam læti gratias, vel majores nostri vel nos ipsi egimus: profectò decet hoc tempore, quo tu, Illustrissime Celsissimeq; Princeps ac Domine, Domine VDALRICE, clarissimum Principum Germaniæ lumen, Domine ac Patrone Clementissime, hanc urbem tuam maximo cum universi nostri ordinis bonorumq; omnium applausu, visendi Academiam gratiâ, ingressus es: ut, ad agendas Deo gratias, animos, linguas & corda nostra exuscitemus, atq; ut hanc mentem gestu quodam lætitiæ declaremus. Cum enim non tantum scripta, sed nata lex sit, quam non solum ex decem Tabulis didicimus, verùm ex ipsa natura expressimus, ut ei, cui multum nos debere sciamus, multum quoq; debere, neq; id inviti aut tristes, profiteamur: meritò

atq; optimo jure, quæ communiter ab omnium hominum multitudine in rebus prosperis & ad voluntatem fluentibus, grati animi lætissima ac propè exultans vox editur, eadem hodierno quoq; die exaudiri debet à nobis, quotquot sentimus atq; intelligimus, quanta in hanc Academiam & quam incredibilia beneficia à Deo & antea collata sint, & hac præsertim luce conferantur. Est enim huius diei promeritorum magnitudo tanta, ut cætera omnia bona, quæ à superioribus temporibus in hanc Academiam, numero ferè infinita, multitudine penè innumerabilia, tanquam ex fonte quodam divino promanarunt, facilè superet, & si non longo, aliquo tamen intervallo, post se relinquat. Nam cum cætera tempora vel lætissimum huius Academiæ initium fecerint, & literarum studia atq; colendi ea honestissimam rationem, nostris hominibus ad hunc Balthici littoris angulum tum habitantibus antea ignotam, aperuerint: vel clarissimum hoc pietatis & Musarum domicilium, urgentibus propemodum fatis in maximas diversasq; calamitatum difficultates conjectum, Dei immortalis summo erga illud amore, laboribus, consiliis, periculisq; præstantium & religiosorum virorum ex flamma atq; ferro, ac penè ex faucibus fati ereptum restituerint: hic ille dies est, qui quasi aliquod signum sustulit ad benè sperandum de hac eadem condita atq; restituta Academia conservanda atq; amplificanda, deq; præsidiis stabilitatis perpetuò

perpetuò futuræ ſuppeditandis. Quare cum cæteri dies majoribus noſtris jucundi, nobis grati fuerint: tum hodiernus dies illuſtris & in honore apud nos poſterosq; noſtros debet eſſe; lætitiæ autem voluptatem tantam afferre, quantam reipub: literariæ ſalus, ejuſdemq; ad poſteros propagandæ cupiditas unicuiq; non ignavo nec malo hujus Academiæ civi afferre poteſt. Quæ cum ita ſint, non potui, nec pro mea ſingulari in T. C. obſervantia, proq; muneris, mihi in hac Academia clementiſſimè à T. C. demandati, ratione aliter facere debui, accedente imprimis eorum, quorum & apud me auctoritas plurimum valet, & apud mei ordinis omnes peræquè valere debet, voluntate: quin hoc die, quem tua, Celſiſſime Princeps, præſentia, quàm ſolis luce ferè clariorem aſpicimus, ea quæ nobis in iſto aduentu tuo digna cum admiratione, tum grati animi memoria, atq; ſpecioſa videantur, palam apud T. C. profiterer. Tu modò, Illuſtriſſime Celſiſſimeq; Princeps, cujus jucundiſſimo adventu, non ſolum hæc civitas exhilarata eſt, ſed muri etiam ipſius urbis, atq; adeò hujus Academiæ parietes mirificè recreari nobis viſi ſunt, pauliſper animum tuum clementiſſimum huc converte, ut publica hominum nobiliſſimorum & doctiſſimorum, quos tibi clementiſſimè adjunxiſti, lætitia & gratulatione, me dicente, virtutes tuas, & quæ iſto ad hanc Academiam viſendam adventu nobis per te divinitùs data & conceſſa ſunt, bona, clementiſſimo

vultu recognoscas. Equidem, quantum ad me pertinet, etiam atq; etiam omni labore contendam, ut laudatißimæ Celsitudinis tuæ moderationi Oratio mea respondeat: nec minus considerabo, quid aures tuæ clementißimæ veritatisq; studioßißimæ ferre poßint, quàm quid huic festivitati debeatur. Quod si tantam mihi dicendi copiám vel natura vel institutio largita fuisset, quantam tuarum virtutum majestas postulabat; non est mihi dubium, quin omnes tuas laudes, non dicam percenserem enumerando, sed complecterer orando. Sed ingenij meivires perexiguæ sunt: laudum autem tuarum magnitudo tanta est, ut eam oratio mea reformidet. Veretur enim magnoperè, ne, si tuam incredibilem, ac propè divinam virtutem, quæ ijsdem, quibus seculorum omnium memoria terminis continebitur, modicis hujusce dictionis perangustæ finibus coarctare voluerit; eam culpa sua deterat. Itaq; alij, quibus uberius dicendi flumen tributum est, honestißimas quasq; vivendi, & laudatißimas gubernandæ Reipublicæ rationes, ab ineunte ætate à te susceptas & pertractatas, atq; ad hoc usq; tempus perductas, commemorent; virtutumq; tuarum memoriam literarum monumentis ad posteros quàm felicißimè propagent: Mihi in hoc tempore satis fuerit, si hujus diei rationes, quibus superiores omnes laudes tuas vincere mihi visus es, exponam, & oratione complectar. In quo tamen ipso si me magis parcum quàm nimium animadverteris, dabis mihi, quæ tua est insignis cle-

gnis clementia, veniam: sicq; cogitabis: Deum ipsum, cujus tu in terris vices geris, non tam accuratis adorantium precibus, quàm innocentia & sanctitate lætari & gaudere.

Soleo itaq; mihi sæpè ob oculos proponere duo illa vitæ nostræ, munere quodam divino, concessa ac tributa propugnacula, in quorum tutela omnia nostra divina & humana latent; Arma dico & Literas. Ex quibus cum utrumq; suo genere sit præstantissimum: cum utrumq; ad generis humani salutem plurimum momenti afferat: tamen, si alterum alteri, quemadmodum aurum auro, comparetur, non dubitans confirmare ausim: literarum studia longè armis præstare. Est quidem magnificè à Cicerone scriptum: militarem virtutem populo Romano nomen, ipsi urbi Romæ imperium peperisse: omnesq; urbanas res, omnia, quæ in vita sunt præclara, latere in præsidio bellicæ virtutis. Est hoc, inquam, magnificè à Ciceronc scriptum. Verùm enimverò, si, contentione artium facta, recto judicio rem æstimemus, nullum est dubium, quin longè major videatur gloria literarum. Nam ut hæc sint de militari virtute certissima & verissima: tamen inficias ire potest nemo: & arma, nisi consilio & prudentia regantur, ijs, qui ea tractarunt, sæpenumerò plus detrimenti quàm commodi attulisse: neq; ea quæ armis parta erant, conservavi posse, si ijs, qui peperissent, domi consilium non esset. Nam, per

Deum immortalem, quis navem mihi dirigat sine ferro quod affricuit siderites? & quis bellum gubernabit sine mente, quam afflavit prudentia? Quasi Cyclops poëtarum, cui lumen ademptum, est Imperator is, cui abest oculus hic mentis: sine quo apparatus omnes bellici sunt fumus, viri funus. Nec verbis ostendi opus: periculo atque negotiis compertum est, ingenium in bello plurimum posse: magnosq; Duces plura consilio quam vi perfeciſſe. Testatur id C. Iulij Cæsaris vox, affirmantis, non minus esse Imperatoris consilio superare quàm gladio. Testantur id Carthaginenses, qui duces bella pravo consilio gerentes, etiamsi prospera fortuna subsecuta esset, cruci tamen suffigebant: quod benè gesserant, Deorum immortalium adjutorio; quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputantes. Neq; id ipsum sanè immeritò. nam, etsi multum cum in omni, tum in re militari posse videtur fortuna, quæ se in hujus societatem administrationis offert: tamen profectò consilij quoq; magnæ & validæ hîc partes sunt: ab eoq; bono illa ferè bona fluunt. Quam equidem prudentiam si quis existimet, non ex literis sapientum & disertorum potius, quam ex unius atq; alterius belli, in quo Imperatorem illum, literarum planè rudem, fortuna exercuerit, scientia comparari: is in præcipuo quodam errore, & rerum magnarum ignoratione versatur. Omnia sunt pernoscenda prudenti Imperatori, omnia cogitanda, omnia dispicienda

spicienda, omnia pertimescenda: nihil ejus scientiam fugere debet, sive quid faciendum ante pugnam, sive in pugna, sive post pugnam, sive in obsidionibus urbium; idq; vel deliberatò, vel si consilium ex hasta petendum: quarum rerum tanta est & tam multiplex varietas, quanta esse potest vel hostium, vel locorum, vel temporum, vel inexspectatò supervenientis alicujus mali diversitas. Eidem præterea Imperatori constituenda militaria judicia: comprimendæ multorum libidines: compescenda Martis effrænata audacia: omnia deniq; in exercitu, ne cupiditatibus vel otio vel fame dilapsus fluat, severis legibus & summa cum industria vincienda sunt: ut dubitari non debeat, quin ad hoc ipsum Imperatorium munus reliquæ omnes virtutes, tanquam administræ, conducendæ sint. Quæ omnia si in unius vitæ usu existere possunt, quis ejusmodi virum à perfectione Imperatoriæ virtutis abesse negabit? Quod si verò hoc & ratio doctis & experientia indoctis dictitat; tàm diffusum esse rerum agendarum & tàm latè patentem campum, ut ei decurrendo fugacitas vitæ unius hominis, quantumvis longævi, nequaquam par sit: ecquis adeò erit, aut rerum humanarum ignarus, aut sui oblitus, ut quod nemini mortalium contigit, id uni homini accidisse affirmet, ut nullam rem in militari usu positam existimet, quam ille unus experiundo non cognoverit. Quare cum rerum, ex quibus prudentia efficitur, va-

rietas sit, eaq; major, quàm ut illi discendæ vita unius hominis adæquari possit: Deus, optimè consultum cupiens generi humano, literas dedit, quæ nobis imagines expressas proponant, non solùm ad intuendum, sed ad penitùs cognoscendum atque imitandum ea, quæ ubiq; terrarum sunt, fiunt & accidunt. Ex his literis prudentiam militarem ferè hauriri constat: ut nisi hoc lumen accedat, cætera quæ armorum propria sunt, jaceant in tenebris vel errore. Te Mars cristata galea, te missilibus, te hasta condecorat: literæ te sapientia armant, quâ circumspectè, quicunq; tandem casus ingruat, illa induas & tractes. Te Mars excusitat, ut eò, quo intendis, maturè cum exercitu pervenias: literæ te ex periculis, in quæ ob nimis vel præpoperum vel lentum adventum incideras, eripiunt & evolvunt. Te Mars ad intendenda muris hostilibus arietes, machinas, fulmina, vim, impellit: literæ, consilio omnia prius quàm armis experiunda esse, te commonefaciunt. Te victoriæ crudelitas extimulat: literæ ad clementiam revocant, & ad victoriæ victoriam tibi facem lucent. Te Martis fortuna in militum insolentiam conjcit, & corona hominum furiosorum cingit: tibi literæ artes subministrant, ut consilio tumultuantium furores comprimas, concitatum militem flectas, seditioni resistas: ut non mirum, si ob literarum scientiam homines, etiam ij qui nunquam aciem viderint, Imperatoriam, aut huic proximam,

in

in bello dignitatem consecutos legamus. Non dubito quin hoc, quod dico, ijs, qui præter flammas & mortem nil spirant, paradoxon videatur. Quid enim, inquiunt, Apollinis fidibus rei est cum cornuum stridore? quid verba clumbia proficient, ubi armis rem geri strenuè oportet? quid autem militibus cum cerebrosa ista prudentia? quos non mitris redimicula habentibus, sed galea ferrea: non stilo, sed hasta: non sententiolis, quibus illi Philosophi, non secus atq; conchis imbricatis Jacobitæ, circumfluunt, sed hostem rectà ferientibus missilibus instructos esse decet? Sed cùm illis, qui ita sentiùnt, nihil detraho; tum generosis militibus, qui uberioris militaris scientiæ consequendæ causa vel Homerum, vel Xenophontem, vel Livium, vel Vegetium de manibus nunquam deponunt: veram hanc videri orationem meam non diffido: ut qui ipsi intelligant, seculorum omnium historijs comprobata esse ea, quæ in hac artium, suo genere præstantissimarum, contentione à me dicuntur; ut literarum scientiam, propterea etiam quod bello parta conservandi rationem teneat, virtuti bellicæ antestare censeamus. Quid enim aliud, quàm inopiam consilij, existimabimus causæ esse, cur bellicosissimæ gentes, quæ olim in puppi quasi sedebant, & clavum tenebant, nunc ex eo loco dejectæ vix in sentina locum habeant? Quid, nisi inopia consilij, Hunnos, quid Gotos, quid Herulos, quid Vandalos, ex Europa, Asia, Africa; quas orbis partes illæ gentes armis quondam invaserant;

ſerant, iterum ejicit, ut earum poſſeßionem ad poſteros nullo modo tranſmitterent? At Romani cum hoc ſummâ quadam felicitate conſecuti eſſent, ut Muſicam cum Gymnaſtica; id quod Plato voluit; conjungerent: non tantum gentes multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes, in ſuam poteſtatem redegerunt: ſed imperium illud ſuum, quod tantum fuit, ut non rarò magnitudine ſua laboraret, per multa ſeculorum ſpatia tutati ſunt & conſervarunt. Quod ſi quis hæc tanquam ex vetuſtate nimis longè repetita putaverit: is, quæſo, animum oculoſq; in florentißimam & clariſßimam Imperij Germanici rempub: intendat. Quod enim Germania communis omnium noſtrûm & ſuaviſſima patria, inde uſq; ab auſpicatißimis Caroli Magni temporibus, ea quæ in rebus humanis ſumma putantur, in hunc uſq; diem feliciſſimè conſervavit: quod gladios in ſe & rempub: toties diſtrictos retudit: quod cruentos mucrones à civium ſuorum jugulis toties rejecit: quod ſibi ſuisq; urbibus, templis, domiciliis, agris, toties circumdatos ignes reſtinxit, & jam propè etiam ſubjectos ut reſtinguat, tantoperè laborat; id primum quidem DEO, deinde poſt Deum, tot Clariſßimorum per Germaniam principum vigiliis & doctißimis atque prudentißimis conſiliis debemus. Neq; exempla nos deſtituunt eorum, quibus nobiſcum idem eſt ſenſus: quos ſi apud T. C. cumulare vellem, quid aliud quàm actum agerem?

Vnum

Vnum tamen præstantissimi Regis Arragoniæ Alphonsi exemplum non existimabam relatu indignum nec auditu injucundum fore. Is enim interrogatus à quodam: utri rei in tanto rerum bellicarum successu plus se debere fateretur? libris an armis? EX LIBRIS respondit, & arma & armorum jura didici. Egregiam profectò & Alphonso Rege dignam vocem! qua quid posset ad studium comparandæ militaris prudentiæ dici pulcrius, quid verius, quid aptius? Meminimus Scipionem illum Africanum calumnianti cuidam, quod parum strenuus esset bellator, respondisse: Imperatorem me mater, non bellatorem genuit. præclarè ille quidem. significabat enim, ingenerata esse Homini, ut cæterarum virtutum, ita prudentiæ quoq; semina: eamq; prudentiam plus habere momenti in Imperatore, quàm vires in præliis. Sed lubricus est naturæ locus. haud enim rarò fit, ut virtutum argumenta mentibus insita, veterno quodam obruantur, aut pravo cultu corrumpantur, nisi doctrina, tanquam culturâ, excitentur, foveantur atq; adolescãt. Quare sapientissimè Rex Alphonsus ad militarem prudentiam non tam factum, quam doctum; non tam natum quam institutum se profitebatur. quin omnem belligerandi, & quæ bello parta erant tuendi rationem, atque adeò seipsum totum, quantuscunq; esset, quì certè maximus erat, totum se literis acceptum ferebat. Nec verò tantum prudentia in Duce desideratur: sed eundem etiam ea

facultate

facultate præditum esse oportet, ut dicendo possit tenere militum cœtus, mentes ad prælium incitare, voluntates impellere quò velit, unde autem velit deducere. Vt enim nullo numero est robur militare, si miles sit sine pectore; ut nihil valet virtus ducis, si sit temeraria: sic nulla est imperatoris dignitas, si fuerit indisserta. Perlustra omnes historias: perserutare omnium insignium imperatorum castra: aut ipsos duces bene dicendi facultate præcelluisse deprehendes, aut habuisse secum viros, qui prudentia & eloquio præstarent. Ac ne aliis commemorandis T. C. molestus sim: quis Alexandrum illum Magnum ignorat ab Isocrate vocari oratorem? Quis C. Iulium Cæsarem nescit? cui Tyrtæus ignotus est, oratione Iuventutem ad usum militarem excitare, & excitatos animos ut vincerent impellere solitus? Lubentes præterimus Valerium, Popilium, Camillum, Menenium Agrippam; quos utrumq; & bonos Imperatores & bonos oratores fuisse constat; qui languentem exercitum animare, terga dantem sistere, fluctuantem compescere, tumultuantem sedare, orationis quadam divinitate potuerunt. Cum enim orationem dico, non intelligo quandam inanis sonitus insaniam, sed orationem talem, quæ ex rerum magnarum cognitione efflorescat atq; redundet. Homerus autem Agamemnoni, regi illi regum, Nestora adjungit; Maro Æneæ, duci tanto, quanta est Virgiliana poësis, Ilionea associat: viros in Reipub: maximis gravissimisq; causis cogni-

tos,

tos, & imprimis probatos, summosq; oratores. Sed & Pyrrhus Cynea oratore usus est: de quo quidem ipse Rex confiteri non erubuit, ut diceret: plures ab ipso Cynea orando subactas esse urbes, quam à se expugnando superatas. Quid dicemus de Philippo Macedone, cui unius Demosthenis stilus formidabilior erat, quam omnes totius Græciæ triremes? Taceo Trajanum Imperatorem Romanum: prætereo Arsacem Parthorum: silentio involvo Mithridatem Ponti: ex quibus cum ille esset prudentissimus, iste bellator felicissimus, & barbarus etiam: hic denique bellicosissimus juxtà atq; doctissimus: tamen tanti Principes nunquam voluerunt non herere sibi viros prudentia & eloquentia præstantes. Sciebant magnates illi, planeq; perspectum habebant: maximum ad gubernanda cum pacis tum belli tempora robur inesse non tam in manu, quàm consilio; non tam castra, quàm stilo, non tam in verberibus insligendis, quàm in verbis prudenter & cum laude fundendis. Vnde autem illa, quæ haud postrema scientiæ militaris pars est, unde inquam, illa tractandi oratione animos militares ratio, prudentiæ illa administra & comes, nisi ex literis? Perfectum itaq; illud est, ut opinor, longè majorem gloriam esse literarum, quàm armorum: cum literæ sine armorum cognitione partes suas tueri possint: arma, & ea quæ his parta sunt, sine literis consistere vix possint.

Quantò

Quantò ergò literæ majores sunt armis, tantò majus est literarum quàm belli curam susceptisse: tantò divinius est Academiam fundare, quàm Trojam vastare. Quod cum intelligerent homines prudentes, semper Scholis & Academijs instituendis operam navarunt. Ac primam omnium Academiam publicam à Regibus Palæstinis conditam fuisse Dabiritide, quæ Vrbs fuit Phœnicum, Annius in Xenophontem probat: quam propterea in sacris literis Kiriathsepher, hoc est, civitatem libri vocari quidam existimant. Antiquissima perhibetur & illa Schola, quæ Memphi fuit, sapientiæ studio olim florentissima, Abrahami Patriarchæ auspicijs primum erecta. Et recessus ille Parthenopæus; in quem, & ob loci amœnitatem, & eloquentiæ culturam Sirenes Reginæ peregrinos attraxisse commemorantur; vel ex fabula Vlyssis Homerica notus est. Mitto Alexandrinam Ægypti: Carthaginensem Africæ: Athenienſem Græciæ: Goënsem Indiæ: Massilienſem Galliæ: Byzantinam Thraciæ: Cæsarienſem Cappadocum: Maroccenſem Mauritaniæ: Monenſem Scotiæ, & alias per orbem terrarum Academias, vel à Regibus vel à Rebuspub. olim institutas, & optimarum artium studio partim quondam, partim hoc etiam tempore florentissimas. Nec dicam de privatis Italiæ Academijs, quæ hodiè inter viros ingenio & genere nobiles in singulis ferè Vrbibus, honestissima fallendi temporis causa, frequentari dicuntur: ex quibus Intronatorum apud Senen-

Senenses, Sitientum apud Bononienses, Constantum apud Patavinos, præcipuè celebrantur. Mitto hæc omnia tanquam à nobis vel memoria vel loco remotiora. Germaniam mihi aliquis aspiciat: eamq; uno, si posit, intuitu, & quasq; in ea florentissimas Academias, aspiciat. Ex quo enim Germani nostri per CAROLVM Magnum ab illa, pro qua Duce WITIKINDO totos triginta tres annos, tanquam pro aris & focis, dimicaverant, Idolomania dejecti, Christo se submiserunt: ex eo tempore per Germaniam Academiæ quam plurimæ excitatæ fuerunt. Etenim ipse CAROLVS pro ea, qua in Religionem inflammatus erat, pietate, cum alias alibi Scholas, & Academias, tum in Garmania primus primum Collegium, idq; Osnaburgi, à fundamentis excitavit, excitatum amplissimis beneficijs magnificentissimè ornavit; eiq; doctores, viros pietate atq; doctrina illustres, præfecit: quibus nominatim expresseq; edixit, tum ut utriusq; & Græcæ & Latinæ linguæ auctores bonos ad juventutem explicarent; tum ut hic labor Professorum sempiternus esset. Quod exemplum Principes Germaniæ secuti passim, primùm Cœnobia, postea Academias erexerunt: non ut lupanaria & Bacchi Veneriseq; popinæ, sed ut Pietatis atq; eruditionis officinæ essent.

Sed adhuc nimis longinqua loquor. Itaq; propius ad id, quod volo, devenio. Iamq; mihi occurrit felicissimum illud tempus: in mentem venit lætissimus

ille

ille à Christo nato 1419. annus : memoria repeto illas pridianas Idus Septembris : quibus hæc Academia à Celsissimis & Illustrissimis Ducibus Megapolitanis JOHANNE & ALBERTO *patruelibus, C. T. majoribus : nec non Amplissimo hujus Vrbis Senatu, literarum & disciplinæ causa, erecta est. O præclarum illum diem ! O pridianas Idus faustas ! O vos Academiæ hujus parentes augustissimos ! O omnium literis atq; prædicatione dignissimos Principes, Senatoriosq; viros ! Nominis vestri quoties in Academiæ hujus subsellijs mentio fit, toties lætari propemodum videntur ejus parietes, gaudere subsellia, subsultare cathedræ. Vestro beneficio in hunc Balthici littoris angulum Literæ & artes humaniores, quæ hinc penitus exulare videbantur, primum deductæ venerunt. Vestris, viri clarissimi, auspicijs, Academiæ hujus parietes & tecta primum erecta extiterunt : eademq; vobis auctoribus, eorumq; qui vobis successerunt, liberalitate, eâq; eximia ac penè incredibili ad hanc commoditatem, ad hunc splendorem, ad hanc propè magnificentiam quàm felicissimè pervenerunt. Non diffiteor equidem, à primis Academiæ incunabulis intercessisse varia tempora, quæ multis & maximis difficultatibus hanc Rempublicam literariam agitarunt & penè conquassarunt. Verùm, quod statim, ferè in infantia sua, hæc Academia, Pontificis in hanc urbem ira exacerbati, non secus atq; fulminis cujusdam, vel terebrantis vel dissipantis, metu, ex hoc loco fugere, &*

Gryphisvval-

Gryphiſvvaldium migrare coacta fuerit; miſerijs temporum tribuo. Quod non continuò colligere ſeſe & confirmare & ad priſtinas vires redire potuit: & cum redijt, quod tamen, perinde ut mare tempeſtatum converſiones, ita varias adverſæ fortunæ, nunc peſte, nunc bello, nunc incendijs illam miſerè divexantis mutationes experta ſit; communi rerum conditioni aſſigno. Quod autem ex tot periculis erepta in hanc urbem, tanquam è naufragio, reliquias toties contulit, quod ex fatalibus temporum calamitatibus toties recreata eſt, quod toties revixit: id verò felicitatis & ingentis felicitatis eſſe agnoſco & prædico, & juxta Deum Parentibus ac Nutritijs hujus Academiæ acceptum ferendum cenſeo. Ne mihi, quæſo, Illuſtriſſime Princeps, des vitio, ſi propero, quando inſiſtendum eſſet; ſiq; Majorum delineata ſolum & quaſi penicillo involuta beneficia propono, quæ forent pingenda & explicanda ad unguem: nam ad finem orationis propero.

Cum itaq; cæteris omnibus, qui hanc Academiam crearunt, aluerunt, confirmarunt, nihil non debemus: tum tibi imprimis, Celſiſſime Princeps VDALRICE, Pater patriæ Clementiſſime: Tuæ item Celſitudinis fratri, illuſtriſſimo quondam, beatiſſimæ recordationis Duci, IOANNI ALBERTO; nec non Ampliſſimo hujus Vrbis Senatui, Academia hæc ſplendorem, ornamenta, vitam deniq; ipſam debet, planeq; ſe in ære veſtro eſſe profitetur: ut videatur ipſi Deus

immortalis, etiamsi pœnas ab hoc orbe nostro Balthico, ob hominum delicta, aliquando expetiverat, qui calamitates tantas & tam multiplices excitaverat, placatus tandem omnem spem non modò salutis, sed etiam stabilitatis ad vestra illa tempora, vestramq; clementiam & sapientiam reservasse & contulisse. Vos hujus Academiæ ex calamitosissimo superiorum temporum naufragio tabulas reliquas religiosissimè collegistis. Vos illas sapientiæ & pietatis domos, quæ tempestatum asperitate in cineres & rudera resederant, resuscitastis. Vos temporum difficultatibus, quasi aggeribus quibusdam, indignissimè obstructos sacratissimos Musarum fontes aperuistis. Vos viros in omni doctrinarum genere præstantissimos, vestris sumtibus accersivistis, accersitos docendi muneri præfecistis, præfectos summa benevolentia complexi estis. Gratulamur publico docentium ordini reditus amplissimos stabilitos, honestissimaq; stipendia decreta esse? Vos decrevistis. Admiramur dissidia & controversias, quæ, nescio ob quas causas, ortæ, hanc Academiam aliquando labefactaturæ videbantur, sublatas, & concordiam concilatam? Vos conciliastis. Lætamur verbi divini puritatem, magni Lutheri ministerio ad Apostolicum splendorem revocatã, intra hos Academiæ parietes tradi fidelissimè, explicari lucidissimè, inculcari diligentissimè, atq; hac ratione veram ad cœlum nostris quoque hominibus patefactam esse viam? Vos nostro beneficio patefecistis. O clementiam! ô benignitatem!

gnitatem! ô sedulitatem! ô providentiam, quæ non modo humanitatem complexa est, sed cœlum quoque ipsum, ut sic loquar, ad suorum usum divinitus redigit! Laudent alij expugnatas urbes: prædicent vastata regna: mirificè verbis extollant cœlum terræ bellorum turbinibus mistum. His vestris beneficiis, quod divinius, quod præstantius, quod ad immortalitatem commendatius sit: inveniri profectò nihil potest.

Atq; hæc quidem vestra in hanc Academiam promerita maxima & sempiternis gloriæ atque honorum monumentis digna esse, quis non videt? Sed tamen majora mihi videntur illa, quorum hodiernus dies initium attulit. Nam & amplissima decreta, quibus ornati sumus: & tutelæ ac præsidium, quo defensi sumus: & auctoritas, qua communiti sumus: ea omnia hoc tuæ C. exoptatissimo adventu stabilientur atq; confirmabuntur. Videbantur tempora incidisse, quæ Academiæ hujus memoriam & curam in animis Principum virorum obliterassent. Non obscura erant quorundam de studiis bonarum artium judicia. Patebant nonnullorum, forté non malorum, nescio qui sensus. Metuebantur & alia quædam interiora, ex quibus igniculus exortus serperet latius, & damni nonnihil daret. Harum rerum omnium scrupulum ex animis hominum hodiernus dies eximet. Ostendit enim & Principi tam benignissimo tamquè clementissimo curæ esse hanc Scholam: & judicia

quorundam esse vana, & voculationes insanientis sapientiæ contemnendas esse. Errores autem, si qui fuerint, idem dies animis bonorum eripiet, & has tenebras Illustrissimi præsentia, tanquam lumine quodam solari, discutiet. Cesset igitur metus: taceant judicia, quiescant voces. Tu, Celsissime Princeps, tuo adventu quanti faceres hanc tuam Academiam ostendisti. Tu quam tibi salus Academiæ tuæ curæ sit, quantoperè discentium conatus promotum benignissimè cupias, docuisti. Tu, quam graviter exosos habeas barbaros literarum contemtores; quam detesteris Centauros, & Lapithas, humanitatis osores; quam execreris Iulianos bonarum linguarum everssores, cum alias sæpè, tum hoc ipso adventu tuo planum fecisti; hujusq; clementissimi tui Iudicij exemplum gloriosum & immortale ad omnem posteritatem proposuisti. Præclarum sanè exemplum! Præclarum animi tui testimonium! quo quid ad mutandas hominum voluntates, & ad spem de stabilitate hujus Academiæ optimam injiciendam confirmandamq; magis potest esse idoneum? Extant jam tot annos cum summa omnium approbatione, & totius orbis verè Christiani applausu verissima præconia summi T. C. studij amplificandæ Religionis: summæ fidei erga Rempublicam: inauditæ operæ in cognoscendis subditorum causis: summæ in malos severitatis, in bonos clementiæ divinæ: summi amoris in scholas: summæ curæ bene merendi de suis, de vicinis, de finitimis, de exteris, de vivis, de posteris:

posteris: summi officij regij erga omnes. Hæc cum jam tot annos extent, tum hac præsertim rerum omnium perturbatione, ubi castra Hispanica in Westphalia contra Rempublicam in ipsis Germaniæ agris collocata videmus, & in dies singulos hostium numerum crescere fama atq; auditione accipimus; vigilias tuas, tuos labores, tuam in Rempub. fidem, tuas pro Germaniæ libertate susceptas ista tua ingravescente ætate profectiones cum summa omnium hominum admiratione atq; exspectatione omnes videmus Sed Clementissimi tui Celsissimiq; animi præconium, quod pace dicam tua, expressius existit nullum, quam hoc ipsum, quod jam est in oculis & ore omnium: quod & vivis tua in Ecclesiam, in Academiam, in Scholas, in Patriam beneficia universa ob oculos uno quasi intuitu spectanda exponit: & promerita eadem tua in arce quadam Phidiæ collocat, unde oculis omnium hominum, qui futuri sunt, exposita longè lateq; per totum Christianum orbem omnibus seculis conspiciantur.

Itaq; dum Musæ erunt, Celsissime Princeps, loquentur istum diem, quo tu jam 72. ætatis annum ingressus; quæ ætas vacationem à negotiorum omnium procuratione, suo sibi quodammodo jure vendicat; non captandæ auræ popularis studio impulsus, sed tuo judicio eoq; verè heroico adductus; Academiam tuam, maximorum virorum Nabugdonosoris, Cn. Pompeji, Caroli Magni exemplo invisisti, & tua præsentia exhilarasti. Hunc, inquam, diem prædicabunt Musæ:

quæ tecum tacitè ita quodammodo loqui videntur: Est hoc Illustrissimo generi tuo, Celsissime Princeps VDALRICE, divino quodam munere concessum, ut, vobis nascentibus, lux quædam clarissima nobis Musis semper oboriatur. Equidem cum grata memoria repetimus Ioannis Theologi ex cathedra Lutetiana sæpè à nobis auditas voces: cum Ioannis & Alberti patruelium in nos uberrimè collata beneficia recordamur: cum Henrici, cum Magni, cum Ioannis Alberti, cum cæterorum Megapolitanorum Ducum nobis contestatam voluntatem animo complectimur: tum & mortuis quietem & vivis salutem precamur, nobis autem verè & ex animo gratulamur. Hujus autem, Celsissime Princeps, tui beneficij, quo & majorum tuorum & tua ipsius in nos promerita non tantum augentur, sed ad posteritatem etiam conservabuntur, tanta est magnitudo, ut quibus laudibus efferamus, quibus studijs prosequamur, qua benevolentia complectamur, ferè nesciamus. Hoc unum quod in manu nostra positum habemus, tibi tuoq; illustrissimo generi reverenter offerimus: dum angulus erit in orbe Christiano, in quo vigebit nostrum nomen, non desistemus nomen tuum illustrare, ut omnis posteritas de tua & celsissimæ familiæ tuæ in nos tam præclara voluntate loquatur, tuaq; beneficia, non senescant, sed vigeant seclis innumerabilibus. Hæc, Celsissime Princeps, tecum Musæ, dum tacent, loquuntur. id quod nos quoq; agnoscimus & facimus. neq; tantum

qui

qui vivimus, qui te præsentem intuemur, qui tuam mentem sensusquè, qua par est, subjectione in hoc tempore cernimus: tibi gratias tantas, quantas hæ pectorum nostrorum angustiæ capere possunt maximas agimus, & in omni vitæ cursu agemus, hunc q; diem prædicabimus: sed celebrabunt etiam hujus Academiæ parietes, dum erunt, qui intra eos religionem doceant: qui juris & legum doctrinam evolvant: dum vox de ratione conservandi corporis humani exaudietur: dum ad prudentiam, ad justitiam, ad temperantiam, ad fortitudinem juventus intra cosdem instituetur: dum erunt, qui quid in terris, quid in mari, quid in cælo, denique in universo ambitu fuerit, animo investigent, mente penetrent, ingenio comprehendant, eloquentia exornent, & inclytis literarum monumentis prodant. Tu quoque, Celsissime Princeps, ipse olim in beatissimum illum Heroum cœtum allectus, ubi ad tuos ex tam illustri, & bonis perpetuæ felicitatis omnibus circumfluente loco despexeris, videbis in his C. T. terris, DEO dante, religionem veram florere: juventutem non tantum in civitatibus, sed in villis etiam & oppidis rectè & liberaliter institui: jus & justitiam administrari: hunc tuorum civium in latinis, illum in Græcis, alium in Hebraicis literis: hunc in dicendi facultate, illum in cœli conversionibus ac motibus in Sphæra illigatis demonstrandis: hunc in

arte

arte depellendi morbos, illum in omni pietatis ac humanitatis studio excellere videbis: sentiesq; communi gratæ posteritatis voce Deo gratias agi, qui T. C. excitaverit, ut hoc die Academiam ad posteros propagares: unde tanquam ex equo Trojano effunderent sese clarissimi Homines, qui Ecclesiæ, qui Reipub. qui Academijs, qui Scholis, qui domibus singulis cum laude præessent. Hæc olim in cœtu beatorum, Celsissime Princeps, collocatus videbis, istoq; tuo tam excellenti bono gaudebis. Interea diu in his terris fruere isto labore, ista vigilantia, ista liberalitate: fruere inquam, & fruere apud nos diu: nec gravabere, quæ est tua insignis clementia, unà cum amplissimo hujus urbis Senatu, ad priora ista in hanc Academiam promerita hoc addere, ut quam semel exornandam suscepistis, eandem augeatis & amplificetis. Hanc vestram tam eximiam bonitatem, tum nos omnes & singuli, quos vestra Clementia & benignitate voluistis publico docendi muneri in hoc tempore præfectos, gratis animis reverenter & agnoscemus & conservabimus: tum studiosorum lectissima corona integritate vitæ conspicua, assiduitate in studijs indefessa promereri conabitur: Omnes autem tam docentes quàm discentes id certatim operam dabimus, ut tam Clementissimus & tam benefici hujus Academiæ Patroni intelligant: nobis rationem esse cum virtute, non desidia: cum dignitate, non voluptate: cum labore, non otio: cum laude, non turpitudine: cum pietate, non perversa:

ut quo-

ut quoties de hac Repub. literaria cogitabunt, quoties hodierni diei memoriam animo repetent, toties de maximis suis in gratam posteritatem beneficijs, toties de singulari Dei immortalis, à cujus numine ducti ad tam divinam sollicitudinem atq; curam se demiserunt, clementia cogitent, & sibi congratulentur.

Quod restat, te DEVM Optimum Maximum, quo authore sapientißimo, vindice fortißimo, custode oculatißimo hæc Academia primum excitata, deinde à variis injuriis vendicata, tandem ad hanc quietem pervenit: Te Deum patrem, Filium & Spiritum sanctum, Deum Trinunum adoramus, tibi genua flectimus, tibi pro ampliß imis illis beneficiis, quæ in hanc Academiam per Illustrißimos Megapolitanos Duces, & inclytum hujus Vrbis Senatum contuliſti, gratas agimus: Tibi hos Academiæ parietes, tibi hæc tecta, tibi purioris doctrinæ vocem; tibi juris & legum eruditam interpretationem: tibi Asclepiadeam curandi morbos scientiam: tibi literas, tibi artes omnes, fidelißimas illas vitæ Duces, virtutum indagatrices, vitiorumq; expultrices, dominas rerum, quibus persuademus, quibus afflictos consolamur, quibus cupiditates iracundiasq; restinguimus: quarum majestate omnia vitæ ac fortunæ ornamenta continentur: Tibi omne hoc quod sumus spiramus vivimus, tibi omne hoc acceptum ferimus, & feremus semper. Te rogamus mitißime pater, ut hæc nobis & huic Academiæ, ad-

eoq; toti orbi Christiano perpetua esse velis. Vides benignissime Deus, quam allaboret Sathan, ut veram de Filio tuo Domino nostro IESV CHRISTO doctrinam ex animis hominum funditus extirpet: quoq; gladio non potuit, illuc novis artibus eum penetrare animadvertis, excitatis per Germaniam, Sarmatiam, Pannoniam, Esavitarum scholis, Braunsburgensi in Borussia; Vilnensi in Lituania; Pragensi in Boemia; Olomuncensi in Moravia; Vienensi in Austria; Græcensi in Stiria; Dillingano & Fuldensi in Germania; Claudiapolitano in Transylvania; quibus tanquam aggeribus Pontificiam pravitatem munit, & intra parietes nostros nostris nos liberis, nostris nos alumnis oppugnat. Tu itaq; clementissime Deus conserva cum alios aliarum, quæ doctrinam tuam Lutheri ministerio perpurgatam colunt, Academiarum & Scholarum patronos, tum celsissimum & clementissimum Patriæ patrem, Principem ac Dominum, Dominum VDALRICVM & reliquos illustrissimos Megapolitanos Duces, amplissimumq; hujus Vrbis senatum: & fac, ut quam omnibus & singulis veram Religionem propagandi, patriam ornandi, Academias & Scholas amplificandi mentem cælitus inspiraste; hanc in eis plurimos annos conserves & augeas: ut semper sint, qui præparati doctrina & institutione, te Duce & piis principibus nutritiis atq; protectoribus, Sathanæ furoribus obviam eant, qui doctrinæ veræ puritatem ad posteros propagent, quiq; cælos plantent.

Defende

Defende nos ab acinace Turcico, ab immanitate Hispanica, ab Idolomania Pontificia, à jugo Diaboli. Rege quoq; nos omnes tuo sancto Spiritu, ut quisq; partes nostri officij fideliter & dextrè sine ambitione, sine odiis, sine curiosa rerum, contra officij sui rationem se ingerente, aggressione tueamur: & ut omnes in te unum simus, quemadmodum Tu cum Filio & Spiritu sancto unum estis, Deus Trinunus, benedictus in secula.

ORATIO II.

Natalis Ducis VLDARICI LXXIII.

COgitanti mihi, & horum temporum, in quæ omnium tum publicorum tum privatorum scelerum, veterisq; Turcici furoris atq; Pontificiæ impietatis maturitas quædam erupit, tristissimum statum memoria repetenti; perbeati, & in Optimi Maximi ære imprimis esse videntur hi, quibus custos ille Politiarum DEVS Principes largitus est, non

non opibus tantum præstantes, sed sapientia quoq; atq; auctoritate claros: quibus defensoribus ac propugnatoribus & vera religio sua habeat halcyonia: & justicia sacrosancta fortiter administretur: & malorum reipub. si non stirps ac semen, adulta tamen pestis extinguatur atq; deleatur: & cives cura atq; metu latrociniorum atq; dissidiorum intestinorum releventur: omnia denique sint pacata, omnia floreant, omnia vigeant. Vt enim detestandum est flagellum Dei Rex fatuus, qui pro sua libidine infera supera, salum solum, cœlum terram miscet; qui incensione urbes, internecione cives, vastitate rempub. interitu orbem mactat: quo dominante vexatio atq; direptio bonorum impunita est; malitia ad evertendas ac perstringendas leges valet; volitant in foro, & purpura fulgent venefici, gladiatores, latrones, sicarij, parricidæ, adulteri, ganeones, infames, corruptores, corrupti, perditi: Sic præclarum ejusdem, & grata mente atq; lingua deprædicandum donum est, Princeps bonus & sapiens: qui cives suos vita cariores habet: qui omni semper conatu nititur, ut suæ tutelæ commissi, sint opibus firmi, copijs locupletes, pace quàm maximè beati: qui Christianam pietatem etiam atq; etiam tuetur, qui religionem amplificat, qui divina atq; humana, labore immenso, vigilantia summa, contentione incomparabili, tractat rectè, defendit fortiter, exornat magnificè. Hujusmodi Principes, cum Deus Opt. Max. huic quoq; terræ largitus sit: quorum patrocinio non

tantum

tantum ea, quæ ratione destituuntur, mirificè recreantur; sed res quoq; sensu carentes lætitiam quandam inusitatam præ se ferre mihi videntur: decebit nos nostrumq; nomen, ut largitori, & omnis ordinis in Politijs conservatori Deo, cum alias semper, tum hoc die, qui Illustrissimum & Celsissimum Principem HVLDERICVM, Ducem Megapolitanum, Principem vetustæ gentis Henetæ, Comitem Sverinensem, terrarum Rostochij & Stargardiæ Dominum, Dominum nostrum clementissimum, ante annos septuaginta tres nascentem primum excepit, læti memoresq; pro tàm ineffabili atq; incredibili dono & bono consentientibus cordibus & linguis gratias agamus: ut hujus memoris animi nostri vox quædam extet. Quæ cum ita sint, volui ego hoc die, quod omnes nos quotidiè privatim facere nec dubium & fas est, idem hac hora facere: non quod ego, vel ex omnibus officiosior videri cupiam: neq; enim istius laudis ita sum cupidus, ut alijs eam præreptam velim; vel ingenio maximo, quod in me sentio quàm sit exiguum; dicere possem: sed quia existimabam, & vestra fretus benevolentia mihi etiam persuadebam, in hac amplissima præstantissimorum atq; doctissimorum hominum corona fore neminem, qui hoc meum qualecunq; studium, qui hanc Patri patriæ debitã observantiam, in Deum, per quem Reges & Principes regnant, Pietatem, meritò culparet. Ut autem ad id, quod volumus, eò facilior nobis pateat aditus; utq; ij, qui hanc fortasse vocem nostram,

tanquam

tanquam supervacaneam, tacito quodam sensu suo condemnant, graves omnes esse intelligant caussas, cur Deo, cum pro cæteris Principibus Celsissimis Megapolitanis, tum pro Nestore hoc imperij Germanici clarissimo, gratias agamus: constitui Salomonis, regis Israelitarum potentissimi, historiam hoc tempore paucis repetere: ut collatione facta & æqui & iniqui judicent, hunc, qui neget, nos Deo nostrum hunc Salomonem germanicum debere, non tantùm sibi mirifice sapere, sed extremè etjam dementem esse. Etsi autem me non fugit nec latet Encomium, quo Christus Dei filius Salomonem Hebræum ornavit: tamen rectus rerum æstimator & candidius auditor jam ferè præcipit; excepta idololatria, in quam postremo ætatis actu incidit Salomon; opera utriusq;, si genus respicias, non modò non inter se differre, sed etjam maximè gemina esse. Verum illis, quibus veritatem quoque ipsam calumniari ludus est jocusq;, missis, ad rem me convertam: ac in historia Salomonis Hebræi primum exponam, quæ fuerint tantæ in ipso virtutis fundamenta. deinde res ejus gestas brevi & simplici oratione enarrabo. Te Magnifico Domine Rector: Vos, Reverendi, Magnifici, C. L. Consultissimi, Doctissimi viri, Domini Patroni, Collegæ & amici colendi: Vos ego, Auditores præstantissimi, ea qua par est, contentione rogo, ut mihi exigui temporis audientiam, quæ est benevolentia & humanitas vestra, largiamini. Xenophon, apicula illa Attica, quatuor præcipua virtu-

tum

tum in clarissimo Rege Cyro fundamenta fuisse scribit; Patriam, parentes, Ingenium & Educationem. Primò enim, quemadmodum Euripides quoq; Tragicus Poëta, dixisse fertur, illustri oportet patria prognatum esse eum, quisquis homo felix & bonus gubernator futurus sit. deinde idem sit ingenuus, bonis parentibus, procreatus, quorum aliquod beneficium extet in populum, cui præest. tertio convenit eum esse excellenti ingenio. & denique in quo totius ferè rei cardo versatur, oportet eum rectè & honestè à teneris educatum esse, & ad regias virtutes institutum. Hæc omnia in Rege Salomone illustria fuerunt. Ut enim Cyrus Susis, quæ urbs à rosis fragrantibus nomen habet, natus fuit, solo, quod aëris puritate & temperamento saluberimo insigne est: ita Salomon natus est in sanctissima urbe Hierosolyma, quæ in ipso Orbis umbilico inter altissimos montes, veluti Paradisus aliquis & amœnissimus hortus sita fuit, & in qua Deus ipse habitavit. Laudentur ornamenta urbis Atticæ, Theatrum, Parthenon, Minervæ templum, Olympium: laudentur & tria ejusdem gymnasia; Academia, Lyceum, Cynosarges: longè majus his fuit ornamentum urbis Hierosolymæ, quod in ea Jehova, dominus ille dominantium, quem ne cœli quidem cœlorum capere possunt, quasi domicilium sunm fixum habuit. Hæc ergò civitas prima Salomoni incunabula præbuit: hæc nascentem suis amplexibus & suo sinu suaviter excepit: hæc primos ejus & teneros vagitus audivit. Parentes Salomonis

quæ

qui fuerint, non necesse, uti arbitor, erit recensere. quis enim nostrum ignorat Davidem illum, parvum quidem corpore, sed animo magnum Heroa? qui utrumq; fuit & bellator bonus, & vates bonus: in quo uno, non solùm virtutes imperatoriæ, quæ vulgò existimantur; labor in negotio, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo; tantæ fuerunt, quantæ in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut legimus aut audiuimus, non fuerunt: sed pectus fuit accensum vera luce agnitionis Dei, & spe præclara, atque fiducia eximia, in solo Deo, tanquam arce & propugnaculo eoq; firmissimo simul atq; tutissimo, acquiescente; & virtute, omnia sua consilia, dicta & facta ad Optimi Maximi gloriam referente; eumq; solum in rebus tum lætis tum adversis, ardentissimis, atq; ex imis cordis penetralibus profectis, precibus invocante, laudante, honorante. Hoc tanto patre natus Salomon; ingenium quoque tantis dignum natalibus à DEO ter maximo accepit. Quod enim de Cyro Xenophon inquit: fuisse eum ψυχὴν φιλανθρωπότατον, καὶ φιλομαθέστατον καὶ φιλοπρώτατον: id de Salomone rectius dici potest. ad quas insignes virtutes accessit inaudita illa atq; incredibilis divinitus in eum collata sapientia, qua puer etiam omnes sapientissimos viros facilè superasse creditur. Neq; tamen, licet tàm ad miraculum usque sapiens indoles, quæ in Salomone emicabat, nullo egere videbatur præceptore, pater David filium in otio atq;

socor-

socordia sibi suisq; placitis relictum voluit; sed doctissimo eum & sanctissimo præceptori Nathani in disciplinam tradidit. Vt enim solum telluris etiam optimum, nisi colatur, tandem sterilescit: atq; sicut arbores præstantissimæ, si non rectè curentur, non tantùm tortuosæ fiunt, sed etiam infrugiferæ: ita ingenium, ut ut sit divinum, nisi disciplina excolatur, corrumpitur, ut quantò melius sit naturâ, tantò deterius fiat neglectu. Traditus est ergò Salomon erudiendus Nathani prophetæ, qui & studia doctrinæ tùm præclarè regebat, & gubernator erat consiliorum pacis atq; belli. Plato in Alcibiade primo auctor est, Regum Persicam institutionem cjusmodt fuisse, ut puer regius, natus annos 14. traderetur informandus quatuor Pædagogis, qui essent ex omnibus Persis electi viri præstantissimi. Horum primus erat sapientissimus, qui puerum regium Magiam, à Zoroastre acceptam, docebat, eumq; ad regis officium instruebat. Secundus erat justissimus, qui eum instituebat ad veritatem, ut in omnibus dictis & factis fidem servaret. Tertius temperantissimus, docebat eum frangere voluptates, à libidinibus abhorrere, utq; verè esset rex, regens primò omnium cupiditates in seipso, nec eis serviens. Quartus erat fortissimus, qui eum imperterritum & magnanimum efficiebat, ne quando, metuens aliquid, servus fieret. At Salomon à patre Davide missus est in Scholam, cui præerat Rector Nathan propheta. at quis Nathan? is nempe, cujus pectus

domicilium erat Spiritus sancti: qui Dei essentiam atq; voluntatem cognitam perspectamq; habebat; qui quod regis esset officium, quæ partes justiciæ, exactè intelligebat: qui non tantum voluptates corporis, sed interiores etiam inclinationes & impetus voluptatum fugiendos & detestandos esse noverat: qui, quæ & unde vera esset fortitudo, imprimis sciebat. Itaq;, ut Josuæ contigit idoneus formator Moses, qui illum verius effecit oratorem verborum actoremq; rerum, quàm Achillem Homericus Phœnix: ita David ad erudiendum filium delegit magistrum maximè idoneum; qui discipulo literas, legem divinam, promissionem de Mediatore, historias, temporum distinctionem, anni rationem, doctrinam de motibus cœlestibus, & artem Physicam traderet. Omnes enim qui ad rempublicam accessuri sunt, summa ope niti decet, ut optimis se artibus instruant; sine quarum varietate nemo ad ullam rem illustriorem satis ornatus potest accedere, quantumvis heroica & generosa sit in ipso natura. Sic Hercules ad Doctores deducitur, quorum nomina Theocritus in quodam carmine recenset. Sic Alexander Magnus non modò primas literas, sed universam etiam Philosophiam Aristotele præceptore didicit. Sic Constantinus Imperator, magna eruditione fuit præditus. Sic Salomon animum regijs artibus, Nathane propheta præceptore, instruxit. Hæc igitur virtutum fundamenta, patria, parentes, ingenium & educatio, quàm

maximè

maximè illustria in Salomone fuerunt. Sed præter hæc omnia aliud accessit virtutis & sapientiæ fundamentum: Preces dico, quibus quotidiè à Deo petebat Salomon non thesauros Arabum & divitis Indiæ, sed Spiritum sanctum, quo duce vitæ actiones rectè gubernaret: quem quoque Deus Salomoni dedit, ita ut virtute toti generi humano antecelleret. Magna fuit septem Græcorum laus: magna Tiresiæ, de quo apud Homerum: ille solus sapit, cæteri umbrarum more vagantur. Sed longè majus fuit decus Salomonis, qui non tantùm rerum naturam intelligebat: sed omnes etiam cogitationes, omnia consilia, omnes actiones cognitione Dei & voluntate ipsius informabat. Qualis quidem perneccessaria sapientia est cùm omnibus, tùm his, qui ad reipublicæ gubernacula sunt nati; tum, quia fons est omnium cæterarum virtutum; tum quia humana virtus absq; Dei timore non modò errat, sed in gravissima quoque & horrenda scelera se præcipitat. De hac enim verum est illud Æschyli: ἁμαρτάνει καὶ σοφὸς σοφώτερος: Alcibiadis, Themistoclis, Demosthenis, Pompeji, Ciceronis, & aliorum ferè infinitorum erroribus & exemplis comprobatum. Dixi de fundamentis virtutum in Salomone. Nunc res ipsius gestas videamus: quarum fuerunt aliæ ante lapsum, aliæ post lapsum. Fuit autem togatus Princeps

Salomon & pacificus. Itaq; & togatæ præcipuæ sunt ipsius res gestæ. quod non ita dictum velim, quasi negem, Salomonem vel bella ulla gessisse, vel in pace cogitationem de bello omnem abjecisse. nam & longinqua prælia confecit, & studium rei militaris ita celebravit Salomon, ut toto regni sui tempore, & arma & currus militares & equos & equites & legiones peditum certis in oppidis descriptas ac constitutas haberet, atque arma, etiam in media pace, tractaret. hoc enim est prudentis reipub. summiq; magistratus, in pace de bello cogitare, eaq; præparare, quibus se ac cives suos tueri possit; ut, si quis vel repentinus casus, vel improvisa vis hostium ingruat, reipub. ruinam & exitiũ defendat. Sed præcipuas dico res gestas Salomonis fuisse togatas, quo regnante summa pax Israëlitis fuit. Initia quidem regni Salomonis turbulenta fuerunt, cum frater Adonias, ambitione inflammatus seditionem moveret. Sed hæc seditio quasi in sua segete statim compressa est, Adoniasq; cum Joabo, fundo hujus calamitatis, tandem eradicatus fuit. ipse autem Salomon unctus in monte Gihone, cujus pars est Golgatha, regnum obtinuit, illudq; pacificè administravit. Quæ sanè laus Salomonis longè omnibus triumphis est potior. Nullius quidem est dicendi tanta vis, quæ, non dicam exornare, sed enarrare bellicas Davidis virtutes possit. ornetur eximia laude Alexander Magnus: habeatur vir fortis Annibal: sit in æterna gloria C. Julius Cæsar, qui

gentes

gentes numero infinitas, magnitudine innumerabiles vicit. sed anteponatur omnibus Davidis fortitudo. erat in Iulio & cæteris virtus heroica, qua minus metuebant pericula, quàm alij, & fortius atque felicius præliabantur: sed illa fortitudo non regebatur luce divina & veri Dei invocatione, nec directa erat ad verum finem: nec judicabat Cæsar suam dextram regi à Deo, sed omnia sua in se, in sua re & spe collocata habebat. at in Davide lucebat vera noticia vocis divinæ, & directus erat labor ad hunc finem, ut esset de vero Deo testimonium, & ut defenderetur Ecclesia. cumq; haberet David lectissimum exercitum, & ferè majorem, quàm Xerxes: tamen David non in ore habebat verba Timothei, qui gloriabundus in concione dixerat: hoc ego feci, non fortuna: sed Deo asscribebat omnia, ab eodemq; petebat sua consilia gubernari, & mentes atq; impetus suos ad Dei gloriam & publicam salutem flecti. Verũ enim verò longè major est patris laude gloria Salomonis togati regis; sub quo summa erat rerum tranquillitas: cujus auspicijs civibus pacatè licebat vivere: quo vigilante, unusquisq; sub ficu, ut cum scriptura loquar, & vite sua sedens, otio fruebatur jucundissimo, commodissimo atq; uberrimo. Cujus equidem beneficij magnitudo tanta est, ut omnium hominum eloquentiam, etiam in unum locum conductam, longè vincat. nam quid bellum aliud, nisi nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, dominandi libido? in bello rapiuntur virgines, liberi avelluntur à parentum com-

plexu: matronæ patiuntur ea quæ victores volunt. in bello templa spoliantur, in bello cædes & incendia flagrant: armis, cadaveribus, luctu, squalore omnia longè lateq; complentur: proculcatur religio: abolentur leges: omnia studia de manibus excutiuntur: geritur res vi: tollitur è medio sapientia: atque adeo miseranda est omnium rerum confusio ac perturbatio. contrà videamus Pacem:

Pace, DEI cultus, legumq; verenda potestas,
& sacra Musarum gloria pace viget.
Pace frequẽs affert hymenejus gaudia Spõsis,
educat & castus pignora casta torus.
Pace suas mercator opes, sua rura colonus
possidet: absq; metu carpit & hospes iter.
Tunc resonat citharæ: tũc, saltibus apta, juven-
ad numerũ cœtu ducit ovante choros. (tus

licet enim mihi iisdem versibus, quibus dulcissimus Poëta Sabinus Bacchilidis elegantissimum hymnum, qui de Pace apud Stobæum extat, complexus est, commoda pacis recensere. Largitus est ergò Deus Salomoni pacem, ut pacis quoque facta excolere posset: quæ dum intentius contemplor, & mecum considero, tria præcipuè reperio: quorum primum in propaganda vera doctrina elucet: alterum in administratione justiciæ conspicitur; tertium in libris tum Philosophicis tum Sacris editis apparet. Principio enim Salomon, ante annos curamq; gerens, animumquè virilem, cum admodum juvenis patri successisset,

nihil

nihil in votis habuit majus, nihil in factis vel prius vel posterius, quàm ut veram de Deo doctrinam & disciplinam in suo regno conservaret, & ad posteros utriusque possessionem propagaret: quod optimè perspectum haberet, regna, quæ non sunt Ecclesiæ hospitia & disciplinæ propugnacula, latrocinia potius esse quàm regna. Ad hanc autem rem tria sibi imprimis opus esse intelligebat Salomon, & Dei auxilium: & ut locus esset certus, vicinus ipsi regiæ, in quo doctrina de Deo doceretur: & ut essent, qui eam doctrinam proponerent & propagarent. Itaque statim initio regni sui, cum maximo comitatu populi & Principum, in oppidum Gibeon, quod ad quintum ab urbe lapidem distabat, descendit, Deum pro felici totius regni administratione & divini cultus propagatione solemniter precaturus. Quod enim Pindarus jubet, ut principia ædificiorum splendida constituantur: id Salomon longè rectius sibi faciendum judicabat, ut in gubernationis suæ vestibulo speciosam quandam columnã collocaret, & ad tabernaculum Iehovæ se conferret, ibique pietate & religione & justis precibus, cæsis q; mille hostis Deum sibi placaret. Atque ibi vocanti Salomoni Iehova secundum quietem apparuit: cumq; jussus esset aliquod donum flagitare: sapientiam, quam hactenus suis votis unice expetiverat, petenti, Deus etiam dat cumulatiora atque majora, quam postulaverat. Cum igitur à DEO impetrasset sapientiam, rem, & ad frenandos juveniles impetus,

& ad tantum, quod moliebatur, opus perneceſſariam: proxima ejus cura fuit de relligione amplificanda atq; augenda: deq; templo erigendo, ad quod legitima ſacrificia & preces fierent. Deus enim cum ſingulari quodam conſilio unam ſemper locum eſſe vellet, qui quaſi terreſtre quoddam ſanctitatis & relligionis in populo Iudaico domicilium foret, inſtituerat à principio Tabernaculum, atq; in eo Sanctum Sanctorum & arcam & altaria. eratq; hoc tabernaculum ita factum, ut in partes diſſolvi & rurſus compingi poſſet, ac quocunq; libéret, deferri. Idipſum unà cum arca in terram Chanaan perlatum, & in caſtris Galgalianis initiò poſitum, deinde translatum eſt in Silo. Temporibus autem Heli, cum arca in poteſtatem Philiſtinorum perveniſſet, reſtituta quidem ea fuit, & in Gibeon oppidum tandem illata: tabernaculum verò ſine arca, ab eo tempore, quo Saul periit, in oppido Nobe fuit, ibiq; manſit, donec & illud David in locum, ubi arca erat, deferret: qui tamen ipſe pauco interjecto tempore arcam ex Gibeon tranſtulit Hieroſolymam, primò in ædes Obededonis, poſtea in ſuam civitatem in novum tabernaculum, relicto veteri Moſis tabernaculo in Gibeon. Hoſtibus autem undiquaq; devictis, & pace toto imperio parta, de templo demum Deo ædificando David conſilium cepit: cumq; hoc ipſum cum Nathane Propheta communicaſſet, prima quidem id fronte approbavit Nathan, ſed paullò poſt reverſus ad eum mandato Dei, juſſit eum inſtitutum templi extruen-

extruendi, quod id decus filio Salomoni à Deo reservatum esset, omittere, Salomon ergò templum illud ædificavit: quo haud scio an ullum illustrius, ullum majus, ullum splendidius in toto orbe terrarum opus unquam fuerit; sive materiæ præstantiam consideres; sive ipsius templi tum amplitudinem tum magnificentiam; sive tanti operis administros, septuaginta mille bajulos, octoginta mille lapicidas montanos, ter mille sexcentos operarum præfectos; sive temporis, quod in eo ædificando consumptum est, diuturnitatem; sive denique arcam fœderis & propitiatorium consideres, cui addita erat promissio, Deum inde locuturum esse, atq; ibi preces exauditurum. Mirentur alij templum Samaritanum à socero Manassis Sanaballat, Magni Alexandri permissu, in montibus Garizin, immensis sumtibus, magnificentia ferè incredibili conditum. Prædicent alij Dianæ Ephesinæ fanum, ducentis viginti annis, uti ajunt, à tota Asia factum, in quo columnæ fuisse dicuntur centum viginti septem, à totidem regibus extructæ. Laudent alij splendidissimam Domitiani ædem: gloria atq; prædicatione efferant Basilij Vaticanam: hoc Salomonis templum omne quicquid fuit ejusmodi templorum superavit, si videlicet non auctoris dignitate, si non ædificij splendore, at certè ipsissima præsentis veri Dei majestate. Cætera enim Ethnicorum fana fuerunt lupanaria, audiverunt teterrimæ scelerum officinæ, nomen execrandæ Diabolorum sentinæ consecuta sunt. Vaticanum autem, quid

aliud est nisi impietatis illustre theatrum, libidinis asylum, abominandæ idololatriæ fertile emporium? At de hoc Templo dixerat DEVS, à se electum & sanctificatum illud, ubi nomen suum perpetuò esset, & ubi oculi sui, & ubi cor permanerent cunctis diebus. de hoc templo promiserat Iehova, se præsentem in eo futurum omnibus, à quibus juxta verbum à se traditum invocaretur; se ad istius loci preces & oculos apertos & aures attentas habiturum; se in isto loco requisitum de cœlis exauditurum, quotquot correctis suis pravis moribus, pro leniendis, divinitus immissis, pœnis, precarentur, & sterilitatem, locustas, pestemquè ab iis ablaturum. O præclarum admirandumquè templum! O præclarum & verè regium, quod tantum regem decebat opus! Ingens fuit Salomonis splendor; memorabilis magnificentia; insignis amplitudo: cujus census annuus erant sexcenta sexaginta sex auri talenta; victus quotidianus, regium etjam quemcunque menstruum victum excedens; apparatus equorum quadraginta millium, qui curribus jungerentur; duodecim millium, quorum in bello & pompis regis esset usus: cui tot erant aurea scuta, tot pocula aurea, tot vasa aurea, tot clypei aurei, ut hujus magnificentiæ fama reginam Æthiopiæ ex longè dissitis terris Hierosolymam usque pertraheret. Sed nihil tàm decebat regem, nulla res ita exornabat, ita condecorabat regem, quàm hujus ipsius templi ædificatio. Quanquam neque hoc

factum

factum Salomonis ullo silentio præteriri debet, quod opere tàm ingenti atque admirabili perfecto, eorum quoque qui cultui divino, & doctrinæ, populo atque teneræ juventuti tradendæ, præessent, curam verè regiam habuit. non enim potest doctrina conservari & propagari, nisi certi sint homines, qui ei rei vacent, qui in scholis atque ecclesiis doctrinam de DEO, & artes Ecclesiæ necessarias proponant: atq; his stipendia, sive ex privatis collationibus, sive ex publico curentur. Dixi de Pietate Salomonis. nunc justiciam ejusdem, & quæ fuerint ab ipso monumenta librorum edita, percipite paucis. Elegans est boni Principis pictura, quæ extat apud Pindarum: Mater est Themis, dea honestatis; ejus filiæ sunt tres, εὐνομία, honestarum legum constitutio; Δίκη, scelerum absq; προσωπολη ψία vindicta; εἰρήνη pax & concordia. quid hac imagine potest esse dulcius? nam cum omnibus cæteris virtutibus oportet præditum esse eum, qui imperat; tùm imprimis justitia, quæ legibus honestis remp. comprehendit, quæ bonos præmiis, perditos supplicijs, & quidem sine personarum respectu, afficit. Est autem hujus justiciæ comes & individua socia, atq; adeò Filia Pax. Etenim justicia & pax sunt duæ amicæ, arctissimo benevolentiæ vinculo, tali quali DEVS parentes & libros junxit, copulatæ; seu ut vates habet, quæ se ipsæ mutuo osculantur; ut si justiciam amet & colat Princeps, eum vicissim

amet

amet colatque pax, atq; ad eum veniat: ut non injuria existimatum sit, fundamentum humanæ societatis esse justiciam, & sine ea nullam societatem civilem salvam esse posse. Troja tàm diu fuisse incolumis dicitur & inexpugnabilis, donec inviolatum in ea servaretur Palladium. Justicia verè est Palladium, qua salva, regna & urbes conservari consentaneum est. Quod cum Salomon pro inexhausta sua prudentia nosset; & constituit judicia ac præfectos, & ipse justiciam administravit, & juri dicundo præfuit. Ac quanta quidem fuerit Salomonis in justicia administranda ingenij vis; quanta sagacitas; id videre est operæ precium vel in vno illo duarum meretricum judicio, quod quovis Areopagitico, quovis Amphyctionico, quovis Heliastico, est præclarius: quo, & celeritate ingenij propemodum divina, inveniebat Salomon, quomodo mulierem alteram mentientem deprehenderet, simulquè quasi signum quoddam efferebat, omnibus totius orbis terrarum habitatoribus exploratè cognoscendi, videndiq;, quanta sapientia Dei in hoc rege esset ad rectè judicia regenda. Restant monumenta librorum, de quibus sacræ Scripturæ verba huc conducam. ita enim illa: dixit Salomon tria millia sententiarum: ejus carmina fuerunt quinque supra mille: disseruit de arboribus à cedro Libani usq; ad hysopum, qui nascitur in parietinis: disseruit & de quadrupedibus volucribus, de serpentibus & de piscibus. Immensum mare angusto alveo complexus est Spiritus Sanctus.

Verum

Verũ de tot vigiliis, de tot lucubrationib⁹, de tot sapiẽtiæ Salomonis documẽtis tres tantũ libri, tanquã tabulæ quædã ex naufragio, reservati extant: in quibus de Deo, de Filio Dei, de fide, de Ecclesia, Sponsa Iesu Christi, & ejus cruce atque calamitatibus, de humanitate, de beneficentia, de Eloquentia, de grata fama, & aliis rebus ad benè beatèque vivendum pertinentibus insignes sententiæ continentur: quarum multas possem adducere, & huic Orationi meæ inserere, si tempus & hujus loci id pateretur ratio. Recensui Auditores præstantißimi, sed nudè quidem & Laconicè recensui Salomonis res gestas, & quidem ante lapsum: ex quibus videmus, nullam fuisse eo tempore Politiam in toto orbe terrarum Iudaica pulcriorem, tum quâ regnum, tùm quâ ipsum Regem, tum quâ Consiliarios regni. Cardinalis & Episcopus Capuanus, qui legatus fuit ad tres summos in Europa reges, ad Imperatorem Carolum V. ad regem Gallorum Franciscum, & ad regem Angeliæ Henricum; cum interrogaretur, quid in singulis regnis eximium & singulare vidisset, respondit: in Anglia pulcrum regem, in Gallia pulcrum regnum, in Hispania sapiens consilium. Quæ omnia de una Politia Israëlitica tempore Salomonis dici jure potuerunt meritißimo, quid enim pulcrius, ante lapsum regis, quid splendidius eo regno, quod erat rosa fragrans odore cœlestis doctrinæ, & monile, superans alia omnia imperia promißione certæ sedis de Meßia? An verò in Ecclesia ullius regis tanta fuit animi pulcritudo,

quanta

quanta tum erat in Salomone sanò? cujus ingenium longè majus decus fuit, quam ipsa regni possessio: cujus sapientia nihil excellens magis in toto eo regno existebat, ut ad eum audiendum ex omnibus omnium regum orbis nationibus confluerent. Deniq; ut ipse Salomon omnium in toto genere humano Imperatorum fuit sapientissimus: ita sapientibus quoq; & fidelibus amicis est usus. Studia doctrinæ regebant Sadocus & Abjathar Pontifices: Eliphoretus & Ahias, fuerunt à secretis: Iosaphatus à commentarijs: Benaja, campiductor summusq; copiarum militarium imperator: Azarias, princeps vectigalium & præfectorum: Sabudus, consiliarius: Ahisar, magister curiæ: Adoniramus, quæstor: quos omnes Salomon non ex promiscua multitudine conscripserat, sed ex melioribus & præstantioribus sibi delegerat. O beatam illam rempublicam, quam verè Philosophi & Rex tantus & Consiliarij tanti quàm prudentissimè administrabant! Sed nunc venio ad eam partem historiæ, quæ nos admonet de nostra imbecillitate, & quàm in lapsus proni simus, ubi verbum Dei timorem excusserimus. Est enim diabolus hostis noster ἀσπονδος, tanquam leo rugiens circumiens, & quærens, quem devoret: cujus quidem tyrannidi expositi sunt quicunq; ei non resistunt fide firma & precibus puris. Fidem autem & preces, duo illa adversus mundipotentes tenebrarum hujus seculi Spiritus propugnacula,

pugnacula, facillimè amittit bono, si Deum metuere desinens insolescere incipiat, atq; in otium ac voluptates turpissimas se ingurgitet. Sunt enim duo pietatis custodes pessimi, fastus & otium. Superbis enim Deus resistit. otium autem, pulvinar Sathanæ, quid non designat? otiosus Esaü amittit primatus benedictionem. Dina otiosa multatur pudicitia. David otiosus occidit Vriam, ejusq; uxorem rapit. quid multis? otium reges prius & beatas perdidit urbes, & adhuc perdit, & in posteritatem, uti opinor, perdet. Ita Salomon cum insolesceret, & voluptatibus atq; Ethnicarum mulierculârum libidinibus se immergeret, in idololatriam fœdissimam atq; abominandam turpiter prolapsus est. O tristem casum! ô deplorandam calamitatem! ô metamorphosin execrandam! Luget Cicero Antonium ex bono cive factum hostem reipublicæ: quantò magis nos lugebimus, præstantissimum illum Salomonem, ex cive veræ Ecclesiæ hostem Dei factum? Dolemus, quoties legimus Themistoclem petulantia & improbitate sua ingentem illam, quam ex conservatione Græciæ acquisiverat, gloriam ita deformasse, ut senio confectus à nudis quatuor mulierculis in forum trahi vellet: an nō dolebimus, tantum virum, tantam ingenij divinitatem, tàm eximium regem, qui Spiritus sancti, quo præconio nihil glorioſius homini tribui potest; organon & domicilium erat, adeò de sua mente & sanitate deturbatum, ut ex probo improbus, ex pio impius, ex amico Dei perdusl-

perduellis ejusdem fieret, ut templa idolorum conderet, atq; his cultus & preces adhiberet? Plúra de his nolo, ne, qui publicæ lætitiæ causſa hoc die convenimus, aliquid inde mœſticiæ contrahamus. Itaq; ad id, quod volo, tandem deſcendo. Quanquam quid velim, vos tacitis ſenſibus jam præcipere, præſentire mihi aliquo modo videor. An non enim ita ratiocinamini? an non hic eſt veſtrarum cogitationum ſenſus? Iſraëlitæ pro immortalibus illis in ſe, in rempublicam, in liberos ſuos promeritis, Deo Opt. Max. gratias egerunt, qui regem, cum ſanus eſſet, tàm pium, tàm ſapientem, tàm admirandum juſticiæ cultorem, tàm in Eccleſiam beneficum, tàm rectè privatorum commodis conſulentẽ, & cives ſuos beantem habebant: decere nos quoq; ut pro beneficijs, quæ munere divino tùm per cæteros Illuſtriſſ. Duces Megapolitanos, tùm per Celſiſſi. Principem HVLDERICVM in nos cumulatè profecta ſunt, cumulatè quoq; univerſi & ſinguli gratias agamus; neq; in templis ſolũ & privatis ædibus, ſed intra hos quoq; Academiæ parietes, in hoc pietatis & Muſarum templo, ſæpiùs, & hoc præſertim die agamus. Et profectò, quæ cauſſa ſit, cur non agamus? cum ferè haud minora extẽt, hoc Principe, Dei in nos, quàm in populum illum Iudaicum ſano rege Salomone: nam idololatriam ſemper excipio: promerita extiterunt. Pacificus fuit ille Salomon, quo regnante quiſq; ſub vite & ficu ſua, ut denuò cum ſcriptura loquar, ſedebat. & nos beneficio Dei incomparabilẽ; laboribus maximis,

maximis, prudentia summa Illustrissimi & clementissimi Domini nostri HVLDERICI, pace exoptatissima fruimur, tumultu interim non solum longinquas, sed vicinas quoque, prò dolor, orbis partes concutiente, & insanis bellorũ æquoribus passim sævientibus, terrificisq; procellis respub. flagellantib. Salomon ille religionis sibi curam commissam credebat, sibi totam fidem tuendã, sibi scholas ornandas, sibi pietatem amplificandam intelligebat. & noster Pater patriæ nutritius est Ecclesiæ & Scholarum, propugnator & propagator veræ religionis & bonarum artium; qui studio singulari, amore paterno, benevolentia & munificentia regia, doctrinam de Deo, literas, liberales disciplinas, harumq; doctores fovet, prosequitur, sustentat. Iusticiam coluit ille Salomon, & usus est consiliariis prudentibus. at quis nostrum ignorat, qua severitate, qua gravitate, quaq; simul ἐπιεικείᾳ Princeps HVLDERICVS justiciam colat? qui sui muneris, etiam affecta illa ætate judicat esse, ut judiciis; in quibus Dignitas atque Celsitudo ipsius tanquam in aliquo orbis theatro, virtutumque verè regiarum officina quadam illustri semper versata est; ipse præsit. & quis nostrum Celsitudinis ipsius consiliarios ignorat, viros omni virtutum genere excultissimos, & summa fide bonum publicum procurantes? Reliquit monumenta pietatis Salomon. & HVLDERICI Celsissimi Principis monumenta pietatis extant: & HVLDERICVS Princeps sacris diligenter invigilat, res divinas meditatur,

in precibus ac supplicationibus totus est, eamq; sibi honestissimam esse laborum pro repub. exantlandorum requiem, eum occupationum portum, eam molestiarum tranquillitatem semper arbitratus est. Sed quis, ô Celsissime Princeps HVLDERICE, quis tuæ Celsitudinis verissimas laudes omnes enarrabit? quarum commemoratione ut non ducaris, non potest tamen Celsissimus tuus animus hac nostra, pro tuis tibi divinitus concessis virtutibus immortalibus, proq; immensis per te in universam rempub. cœlitus profectis donis & bonis, grati animi apud Deum professione non delectari. Tibi enim, quod religio apud nos incorrupta sonat; Tibi, quod disciplinæ umbra quædam inter cives tuos est reliqua: Tibi, quod juventus eruditur: quod ex istis subsellijs docentium vox auditur: quod in omnibus honestissimis disciplinis studia mediocriter florent: Tibi, quod ex hac Academia, si non tanquam ex equo Trojano, at certè tanquam ex alveolo quodam, nova apum examina subinde protrudente, prodeunt, qui veram de DEO doctrinam propagent, qui disciplinam propugnent; qui bonas literas doceant: Tibi, quod quasi novum aliquod ver Pietati, Legibus, scientiæ Medicæ, omnibus Artibus liberalibus anno superiori in hac Academia affulgere cœpit: Tibi, inquam, tuæq; illustrissimæ Celsitudini hæc omnia: Te autem, Celsissime Princeps, cum universis istis tuis & divinis promeritis Deo; cujus beneficio, quicquid est in omni rerum universitate, gignitur; debemus: quem eundem

hoc so-

hoc solemni die omnes una voce oramus, atq; una voce obtestamur; ut, si vera religio in his templis docetur; si eum solum juxta verbum ab ipso patefactum, ritè colimus; si filium ejus unigenitum, solum & unicum, nostræ salutis auctorem, rectè credimus; si deniq; certa cum fiducia certatim omnes ad auxilium ejus, fusis quotidiè precibus, supplices probè confugimus: nobis & universæ reipub. cùm cæteros nostros Principes clementissimos, tum Te patrem patriæ benignissimum, te pietatis defensorem fortissimum, te senem sanctissimum, quàm diutissimè & felicissimè superstitem ad annos plurimos transmissum conservet: ut pro tanto dono & bono ei annis venientibus vota solemnia quàm plurima nuncupemus, eumq; Deum Trinunum & in hac vita, & in æterna illa beatorum animorum corona, sine fine laudemus atq; celebremus.

ORATIO III.

Parentalia.

QVàm gravis quamq; justus, cum toti Reipub. tum nobis, qui studia literarum colimus, morte Illustrissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Domini VLDARICI, Ducis Megapolitani, Principis vetustæ gentis Henetæ, Comitis & Administratoris

Sverinensis, Rostochij & Stargardij Domini, inusitus sit dolor, non solum, Magnificentißime, atq; Illustrißime princeps & Domine, Domine clementißime, concio Magnifica, Clarißima atq; Ornatißima, nos omnes intelligimus, sed hi ipsi parietes propemodũ sentire mihi videntur. Amisimus enim Ecclesiæ nutritium, religionis dexteram, justiciæ gladium, Musarum præsidium, omnium heroicarum virtutum promptuarium. Cum quo etsi præclarè actum est, quem in eas oras abiisse scimus, ubi in conspectu sacrosanctæ & individuæ Trinitatis sabbathum ex sabbatho celebrat: nobis tamen hic casus præcipuè luctuosus accidit, qui patre patriæ & patrono nostro orbati sumus, meritoq; hoc tempore, ubi ad hunc publicum actum convenimus, in hoc cummuni totius ferè orbis Christiani luctu, non tàm dolorem nostrum, adeò recentem, voce nostra lugubri testatum facimus, quàm recordatione virtutum & beneficiorum, quæ Deus per hunc Principem in nos & remp. cumulatè contulit, excitati, consentientibus votis filium Dei, ad dexteram Patris sedentem, rogamus, ut quem in Serenissimorum Celsissimorumq; beatissimi hujus Principis Gentilium, cùm omnium, tùm inprimis potentissimæ & omnibus virtutibus heroicæ Principi convenientibus, exornatæ Reginæ SOPHIÆ filiæ; & conjugis illustrissimæ ANNÆ, ex Celsissimorum Pomeraniæ Ducum familia oriundæ, pietate & virtute excellentis heroinæ, pectoribus mors patris & mariti luctum, eumq; incredibi-

lem

lem & infandum excitavit, Deus ipse suo solatij spiritu clementissimè mitiget & leniat: quemq; in ejusdem divi Principis locum succenturiavit, Reverendissimum, Illustrissimum atq; Celsissimum Principem ac Dominum, Dominum CAROLVM, Administratorem Episcopatus Ratzeburgensis, Ducem Megapolitanum, &c. spiritu suo sapientiæ & fortitudinis collustret, ut, quemadmodum in Administrationem, ita quoq; in Fratris, omnium virtutum, pietatis, prudentiæ, Iustitiæ, auctoritatis & felicitatis insignibus notata vestigia succedat, & illius, cujus jampridem omnibus bonis spem præclarè fecit, magnanimitatis & amoris in patriã eam quàm diutissimè sustineat atq; tueatur. De qua re constitui hoc die, ubi mihi persona dicendi necessitatem imponit, quædam afferre. Dicam enim de laudibus beatiß. Principis VDALRICI: & quæ sparsa, quæq; diversis temporibus de hoc Principe præstantiß. vel vidistis ipsi vel audivistis, ea collecta vobis proponam: non ut omnia divi hujus Principis præclara facta oratione comprehendam: esset n. hoc immensum propeq; infinitum: sed ut ex multis pauca tantũ deli. bem. Nec tamen solemnia illa, generis, nobilitatis, ornamentorum corporis & fortunæ, quæ cum multis alijs clarissimis Principibus communia habuit, encomia huc conducam, sed illa solum, quæ beatissimi nostri Principis quasi propria fuerũt, enarrabo. Quanquam si genus, si pulcritudinem & robur corporis, si honorem, si divitias, si potentiam, si id genus cætera aspicias, eaq;

cum his, in quibus ipsa fuerunt, conferas; liquidò reperies, effulsisse pleraq; in hoc Principe ita, ut fatendum nobis sit, quæ in alijs singula, hæc in uno hoc nostro Principe eximia conjuncta fuisse omnia, credendumq; quod si ex antiquis illis omniu sermone atq; prædicatione celebratis, qui propè divinos honores consecuti sunt, heroibus alicui in vitam reditus datus, atq; ei optio divinitus concessa foret, quos sibi ex infinito hominum omnium, in unum locum & sub unum aspectu conductorum, numero deligeret, eos illi parentes futuros, eorumq; tum corporis decus, tum gloriam ipsam consecuturum; non alium patrem sibi sumeret, quàm Albertum Ducem Megapolitanum, neq; aliam matrem, quã Annam, Ioachimi I. Electoris Brandeburgici filiam, laudatissimos beatissimi nostri Principis parentes, natos ex clarissimis Cæsarum, Regum, Electorum, Ducum, Megapolitanorum, Brandeburgi, Saxoniæ Electoralis, Saxoniæ veteris, Bavariæ, Pomeraniæ, Poloniæ, Masoviæ, Badensium, Austriæ, Daniæq; familijs, nobilitate Gracchis, Æmilijs, Fabijs, Cornelijs, longè superioribus: idemq; nec ullam aliam excelsi & Heroici corporis augustam majestatem, neq; potentiam & gloriam sibi cuperet aliam, quam qualis fuit beatissimi nostri Principis & Patris patriæ. Est enim permagnum, benè natum esse, &, ad præclarè agendum quasi iter aut fundamentum: & ut sint Nerones, qui suis sceleribus avitam majorum gloriam deturpent & coinquinent; generis tamen splendorem & dignitatem, tanquam

tanquam singulare & illustre hominis ornamentum, cum in alijs, tum in hoc beatissimo nostro Principe meritò agnoscimus. Sed longè majori prædicatione cumulanda ducimus ea, quæ interiora beatissimi hujus Principis fuerunt, Prudentiam dico, justitiam, fortitudinem, temperantiam, magnanimitatem, liberalitatem, mansuetudinem. Etenim, sive Oeconomicam sive Politicam Principis nostri gubernationem, & hanc aut togatam aut armatam penitius introspicias: Deum immortalem, quàm se undiq; illustria prudentis & considerati animi in eo offerunt testimonia atq; monumenta! Neq; enim existimet quisquam, alienum esse à Principis dignitate, ut consulat ijs bonis & rebus, quæ ad ipsius privatam spectant utilitatem. Est enim hoc pervetus, Israëlitarum, Romanorum, Lacedæmoniorum, Ægyptiorum, omniumq; gentium unanimi consensu introductum, institutum, ut separata sint à privatorum bonis quædam bona, quæ in Principatus inauguratione Princeps accipit, quæ bona dominialia & principatui annexa & patrimonium dicuntur: itemq; ut propria quædam habeat bona, quod patrimonium privatum vel domus: utrumq; autem, titulo dignitatis, Principis appellatur: de quo utroq; in jure Codicis legimus, in l. benè à Zenone, de quadriennij præscriptione; & in l. unica, de quæstoribus, & tt. de grege dominico. Vtriusq; autem patrimonij commendata est Principi procuratio: & ut intelligat, quantum habeat in reditibus, ne extra oleas,

quod dicitur, currat: & ut caveat sibi ab harpyjis, ne ab his decipiatur. qua in re ubi peccatur, videmus excogitari nova vectigalium nomina, expilari subditorum bona, spoliari provinctas, exhauriri sanguinem civium, principes ipsos in labyrinthos difficultatum propemodum inexplicabiles conjici. Nolo hîc longior esse, Auditores: res ipsa loquitur, & quàm necessaria sit Magistratui hæc Virtus: & quàm singularis ea fuerit in beatissimo nostro Principe. Politicæ autem prudentiæ magnitudinem in eo quis non jure miretur? Non imaginarium vobis Regem aut Ducem, aut ex eorum etiam numero, quales apud Utopienses regnare dicuntur, sed vobis VLDARICVM Ducem Megapolitanum propono, cujus fidem & prudentiam in administranda Reipublica omnia templa, omnes scholæ, omnes curiæ, omnia prætoria, ipsi deniq; hujus ditionis agri & sylvæ loquuntur & protestantur. Fremat licet impietas & ringatur cyclopicus Centaurorum furor: ego illud in hoc Illustrissimo & clarissimo consessu asserere non reformido: cum laudatissimis quibusq; principibus tùm recentioribus tùm veteribus conferri hunc nostrum Principem posse: cui pietas pro oculo, prudentia pro manu fuit, qui togatam administrationem ad gloriam Dei & subditorum utilitatem; arma ad curandos reipub. morbos & ad pacem semper contulit. Nam simul atq; in Episcopum Sverinensem, quod factum est anno C. 1550. ducis Henrici senioris commendatione, patrueli Henrico

rico juniori, pietate & in literatos munificentia excellentißimo Principi; & triennio post in eum, quem decedens reliquit, principatum succeßit: tria maxima, & heroico atq; Christiano Principe dignißima, & in omnem posteritatem vniversæ reipub. utilißima opera simul ferè susceßit, Ecclesiarum reformationẽ, judicorum constitutionẽ, & Academiæ hujus restaurationẽ. Vera enim imperii magnitudo sita est non in luxu, non in injuriis, non in opulentia iniquaq; dominatione, sed in pietatis, justiciæ, & doctrinæ gloria atq; cultu; ut furere & diabolico æstro perciti mihi videantur, qui Principem ἀθεον, indoctum, hostem Gratiarum & Musarum esse, quiq; pulsis doctis viris & sacerdotibus justiciæ, illud Caligulæ Eccum in Repub. rabiosè audiri volunt: cum & ratio sanis dictitet, & jus omnibus præscribat, & necessitas salusq; orbis totius flagitet, ut Magistratus sit custos ac patronus, pietatis, ecclesiæ, religionis, scholarum, justiciæ, legum, artium & disciplinarum honestarum. Sequutus erat hic Ducatus, quem Albertus, nostri Principis Pater, imperio tenebat, maximam partem adhuc pontificiam doctrinam: cujus etsi tanta erat ea tempestate in animis hominum & tàm altè infixa vis, ut ne iis quidem Præsulibus, quibus Antœcos & antipodes statuere heresis erat hereseon omnium maximè detestanda, refragari quisquam auderet, inenarrabili tamen Dei misericordia veritas renascentis lucis divinæ affulsit beatißimo huic nostro Principi & ipsius fratri divo Ioanni

Alberto, ut inchoatum primò ab Henrico seniore, & continuatum deinde à Ioanne Alberto perpurgandi Pontificij stabuli Herculeum illud, quo nihil vel Deo acceptius, vel generi humano fructuosius & salutarius, opus Fratres tandem illustrissimi conjũctis animis atq; viribus perficerent. Pontificiorũ n. impostoris planè explosis, & Monachorũ somniis ad furcas relegatis, certã constituerunt doctrinæ, rituum & totius gubernationis Ecclesiasticæ formam, non ex turbulentis rationis humanæ lacunis deductã, sed ex limpidissimis verbi divini fontibus hausiam atq; derivatam: qua longè lateq; per hanc ditionẽ proseminata, aurora Euangelij hominibus nostris ita illuxit, ut sole hoc & nos gaudeamus, & tota grata posteritas Deo propitio, gavisura sit, nulliusq; magistratus Megapolitani tantũ in Rempub. extet beneficiũ, quod vel dignitate vel magnitudine cum hoc conferri possit. Quod quidem beatissimi hujus nostri Principis factum, tantò præclarius fuit, tãtoq; augustius, quantò turpiores fuerunt illi, qui vel libidine involandi in fortunas Ecclesiæ, vel novitatis studio, vel regionis potius quàm religionis amore, initiò quidem Evangelium sunt amplexi, sed paulò post, cùm aliis, tùm Interemistici temporis tempestatum procellis sævientibus, contra veteris Germaniæ laudem & majorum gravitatem stationem suam turpiter deserverunt. Nihil horum in beatissimo nostro principe. Is enim & certa quadam mentis divinitus illustratæ inductione veram de Iesu Christo doctrinam, qua sola oppressis peccato aditus

aditus ad cœlum patefit, ministerio Megalandri Lutheri ab iniquinamentis Babilonicis repurgatam, amplexus est, & ingenti atque excelso animo eandem inter inferorum furores & fulmina usque ad extremum vitæ halitum fortiter & Christianè defendit: atq; hanc suam voluntatem non solum subscriptione repetitæ Augustanæ, quam formulam Concordiæ vocamus, sed editione etiam suæ confessionis publica, & sub ipsum articulum mortis facta ordinationis Ecclesiasticæ repetita promulgatione, cõtestatus est. Haud minori cura legibus conservãdis operam suam navavit noster princeps. Rectè enim Cato leges Reipub. nervos: Pindarus reginam omnium: Martianus Iurisconsultus justorum & injustorum regulam: Isocrates cancellos: Ecclesiastes sepè nominaverunt. Inprimis autem ad Imperij Romano Germanici jura & ad legum civilium præscriptum totam suam gubernationem in causis decidendis conformari voluit. Sunt enim leges civiles ad harmoniam ejus, quod semper æquum & bonum est, præ reliquis longè accommodatiores: eædemquè à discrimine honestorum & turpium, in ipsa natura præscripto, omnium abeunt minimè. Ne autem legibus severa deesset executio, cum alia, tum Ecclesiasticum & provinciale judicia collapsa jam, cum divo Fratre restauravit: quorum alteri inspectio disciplinæ Ecclesiasticæ & conjugiorum commendata esset; in altero, tanquam in instructo Areopago, non solum subditis, sed ipsis etiam Principibus jus diceretur.

O bene-

O beneficium Principis excellens! ô rarum virtutis exemplum, & huic terræ ante illum diem ferè inauditum! Ferociat Nero in sceleratè rumpendis legum repagulis: figat alius leges precio atque refigat precio: Caracalla se dominum legum impudenter jactitet: hæc, hæc est vox regnantis majestate digna, legibus alligatum se Principem profiteri, suamque auctoritatem juris auctoritate metiri. Nam qui legem jubet præesse, Deum & legem jubet præesse: qui autem hominem, is bestiam judiciis præficit. tanta est libidinis tamq; effrenata feritas, ut optimos quosque Principes in transversum agere posit! Sed quia intelligebat beatissimus Princeps, leges & doctrinam indissolubili quodam inter se junctas esse fedære, ut & simul floreant, & simul intercidant: itaq; ad recolligendas hujus Academiæ ex superiorum annorum naufragiis reliquas tabulas animum adjecit. Est enim hæc Academia nostra Anno 1419, à Ioanne, beatissimi nostri Principis abavo, & Alberto, Ioannis patruele, Alberti Regis Sveciæ filio, & amplissimo Senatu hujus urbis primùm condita. sed octavo statim à nativitate sua quasi anno, cum literis vicini Regis excita, cum in aliis tùm in hac urbe, plebs adversus senatum, ejectis consulibus, tumultuaretur; & indignitate rei exacerbati Cæsar & pontifex, ille proscriptionis fulmen, hic excommunicationis plumbum in hanc civitatem evibrasset, jussa est Academia à concilio Basilienſi, cujus diploma autographum adhuc

huc extat, hinc fugere atq; migrare. quæ dicto audiens Gryphiſvaldium conceſſit, qua in urbe cum quinq; annos heſiſſet, & pars Profeſſorum deſiderio veteris ſedis vehementer afficerentur: factum eſt, ut, qui reditum ſuaderent, non ſine aliqua difficultate huc reverterentur, relictis uno atq; altero ex collegiatis, quos vocabant, Gryphiſvaldij: quorum poſtea monitis & ſuaſu excitati Illuſtriſſimi Principes Pomeraniæ Academiam Gryphiſvaldicam, impetratis ei privilegiis, fundarunt. Fuit autem proximis à reditu quadraginta annis mediocris Academiæ ſtatus. ſed cum urbs, ob trucidatum ad mediæ lunæ regionem, ubi cippus eſt, Thomam Rhoden; qui Duci Magno, beatiſſimo noſtri Principis avo, à cancellis fuit; virum inſignem, in grave diſcrimen iterum adduceretur: fœdè aſperſa fuit Academiæ facies: ex qua tamen calamitate cum Dei beneficio eluctaretur, virtute Erici Ducis Megapolitani patrui noſtri Principis, Academiæ tum Rectoris, nonnihil recreata eſt; donec Henricus & Ioannes Albertus omnes ſuas cogitationes, omnem curam omneq; ſtudium ad reſtaurandã Academiam converterent, &, deficiente Henrico, beatiſſimus noſter Princeps cum Fratre Ioanne Alberto, Principe incomparabili, opus hoc Heroicum & periculoſæ plenum aleæ, feliciſſimis tandem auſpiciis, & dote nova caq; ampla ſuis profeſſoribus conſtituta, & diverſis collegiis in unum concilij corpus coactis, & concordia inter ipſos & ſenatum & Academiam, bonis & certis conditionibus ſolemniter

inita & promulgata, divinit⁹ ad finem perduceret. O curã Principi viro decorã & optimo Magistratu dignam! & studiũ posteritati memorabile & salutare! cum quo genere officiorum profectò nullum militare genus, nulla castrensis gloria conferenda. nam bellum semel fortasse profuerit, si tamen profuerit, & quidem cum lacrumis & rerum omnium vastitate atq; perturbatione miserrima profuerit: hoc autem laudabile institutum toti provinciæ, cum summa omnium bonorum gratulatione atq; lætitia, semper profuerit. Nec verò deseruit beatissimus Princeps hanc Academiam suam, sed ipsam verè paterao amore semper prosecutus est, atq; de ejus salute, non secus atq; de patrimonio quodam dignitatis, regia erga literas adductus & non fucata benevolentia, mirificè solicitus fuit: cujus rei memoria, cum summa caritate atq; veneratione usurpata, tãdiu duratura est, quamdiu ulli homines sunt literarum vel fructu adjuti, vel laude illustrati; cum sceleratissimum Iuliani, Caligulæ, Bassiani, perditissimorum hostium literarum, nomẽ, unà cum flagitiosissima anima, in Acherontis pice & flammis stagnantẽ fluviũ miserrimè præcipitatum, ante diem Orcus immani gutture absorbeat. Togatam adũbravimus beatissimi nostri Principis prudentiam. Videamus nunc armatam. Nam cum duæ sint pestes, quibus respub. everti solent, seditio, & bellum: alteram quidem semel atque iterum hæc ditio, sed in ipsa tamen quasi segete, hujus nostri Principis prudẽtia oppressam; alterũ nunquam sensit, quin illud Dei opt.

maximi

maximi in hanc rempub. favore, vigiliis optimi Principis, bonorum precibus à cervicibus subditorũ sit aversum. Nihil hîc dicam de difficultatibus, quæ beatißimo nostro Principi creabantur ab eo, cum quo erat conjunctißimus, tum, cum Episcopæ Sverinensis gubernacula capesseret. Sunt enim illa morte auctoris statim dissoluta & discussa. Gravius fuit cum fratre Ioanne Alberto, eximio veræ pietatis Zelo, & literis exculto principe, ecclesiæ Dei ac scholarũ nutritio, & literatorum omniũ patrono munifico, susceptum gubernationis certamen. Nam cum Henricus dux Megapolitanus, qui, quod pacem tanquam cœleste aliquod numen semper veneratus est, pulcherrimum τοῦ εἰρηνικοῦ cognomen invenit; beatißimi nostri Principis patruus, diem suum Sverini obijsset, nullo herede masculo relicto, & partem illam Ducatus ad fratris Alberti filios Ioannem Albertum, Vldaricum, Carolum, & Christophorum morte sua devolvisset, maximusq; natu filius Ioannes Albertus, illustrißimorum juniorum Principum avus, ad gubernationem Reipub. solus evectus fuisset; gravis quæstio inter Ioannem Albertum & beatißimum nostrum Principem coorta fuit: quod alter de gubernatione ditionis secum communicanda & familia herciscunda crebrò instabat: alter pactum de decennij administratione, quæ sibi soli, mortuo patre, cummuni omnium fratrum accedente consensu tradita esset, opponebat. hoc pactum cum Vldaricus ita, ut de illa, quam pater Illustrißmus decedens reliquisset, non autem de hac, quæ

quæ morte patrui acceßißet, ditione accipiendum oſtenderet: Ioannes autem Albertus de præſentibus & futuris interpretaretur, neq; ab ea ſententia dimoveri ſe facilè poſſe diceret: & præterea ducentos equites in præſidijs diſpoſitos haberet: ea animi abalienati ſignificatio inter fratres extitit, ut Vldaricus non tantum apud vicinos Principes de fratre conquereretur, ſed ab Henrico etiam Duce Brunſvigio, marte & virtute clariſſimo Principe, auxilia impetraret, & cum exercitu inſtructus ad fines hujus Ducatus, ubi Beyzenburgum eſt, appropinquaret. Etſi autem graviſſimus erat in Principe Vldarico dolor, obortus ex conſideratione earum rerum, quarum memoria in generoſis & magnis animis faces ad inflammanda odia atq; bella inteſtina, & ad maximas infinitasq; calamitates excitandas accendere ſolet: tanta tamen tamq; excellens fuit in beatiſſimo noſtro Principe virtus, ut prius omnia conſilio, quàm armis experiunda ſibi ſtatueret. Cogitabat altam & profundam plagam renaſcenti Evangelio hac diſſenſione fratrum capitali inflictum iri: cenſebat præſtantes excellenti virtute heroas, in quorum numero Illuſtriſſimum fratrem eſſe certò ſciebat, comiter tractando placari & emolliri poſſe; cogitabat & illud: non decere fratres ſic inter ſe affectos eſſe, ac ſi ambæ manus, quas Deus fabricavit, ut mutuis ſibi auxilijs ſubvenirent, hoc munere abjecto, convertant ſe ad eò, ut inter ſe impediant: ſed multò magis fratres à Deo omnium

omnium auctore esse factos, ut multò plus sibi inter se commodent, quàm aut manus aut pedes, aut oculos aut cætera, quæ DEVS mortalibus gemina indidit: cum manus, si ea, quæ longius ulna distent, colligere debeant, non possint: fratres autem, quantumvis longo intervallo sint disjuncti, mutua commoda administrare debeant. Hæc, & alia, belli incommoda, subditorum miserias, prædiorum incendia, urbium direptiones, cognatorum parricidia, cum beatissimus Princeps diu multumq; apud animum suum agitaret, tandem Butzovium, quod est ad Varni & Nebulæ confluentem, ordines reipublicæ hujus evocat: jus suum eis proponit: quanti calamitatum fluctus Patriam inundaturi sint, si exercitum moveat, edocet: quæ sit mens sua, pacis quàm belli studiosior, testatur; ut rebus afflictis consulant, hortatur. Dignissima autem & omnium seculorum prædicatione & memoria fuit fides ordinum hujus Ducatus in Rempublicam & Patriam. Nam sua interceßione effecerunt, ut contentio illa, quæ, non secus atq; serpens Annibalis, vastitatem Reipub. secum trahere videbatur, placidè inter Illustrißimos Fratres summo cum omnium hominum applausu componeretur. Quid de illa dicam beatißimi nostri Principis insigni virtute, qua inter amplißimum hujus urbis Senatum & cives tum ex alijs causis, tùm ex privatis odijs conflatam, & unius atq; alterius advētu exacerbatam, & eorum, qui frigidam suffundebant, opera exasperatam disceptationem,

nem, amplissimæ nobilitatis & hujus Academiæ deprecationibus intervenientibus, ita tandem passus est dirimi, ut victi victores existerent? de qua re parcius: cum ejus memoria in multorum adhuc animis altè infixa hæreat; & videam esse in hoc consessu, qui spectatores ejus tempestatis fuerint, quique ejus exitum salutarem gemitibus multis Deo commendarint. Sed quantum illud putabimus in beatissimo Principe nostro fuisse excellentis & prudentis ingenij donum & bonum, quod regiam viam, quæ est inter Wismariam & urbem Lubecensem, ante annos 45. latrociniis infamem, à Philistis illis & Cacis sua opera purgavit: quod iter per præfecturam Graboensem ad molam Martini prædonibus intercluſit: deniq; quod hanc ditionem ab incursionibus externis toto suæ gubernationis tempore, per annos fermè quinquaginta, Dei beneficio, salvam & tutam conservavit? Est hic Ducatus satis amplus, qui ab occidente Travum habet, clarissima urbe Lubeca, quam lambit, nobilitatum fluvium: & inde versus hiemalem occasum, juxta metas agri Lubecensis, & terminos veteris Saxoniæ, ad Albim usq; protenditur: finibusq; Ducum Luneburgensiu & Brunsvicensium longissimo tractu exclusis, versus meridiem in Marchiam Brandeburgensem prominet: mox ad orientem recurrens eo latere satis spatioso Pomeraniam terminat: donec ad Septemtriones & mare Balthicum reversus, ne littore quidem illo in Germania extremo fines suos circumscribi patitur, sed in

ipsum

ipsum quoq; mare, non exiguo spatio, Daniam versus se extendit. Intra hos fines tàm latè patentes regio hæc Megapolitana continetur, amœnitate silvarum grata; frequentia urbium celebris: fluvijs Albi, Varno, Elda, Stora, & lacubus, cum aliis plurimis, tum, mihi aliquando penè fatali Murcio, Plavensi, Sverinensi, piscium multitudine stagnantibus, & mari navigabili insignis: agris fertilibus, & in aliquibus locis duodecuplũ reddentibus opima: rerum omnium, quæ ad vitam pertinent, abundans: Academia & scholis illustris: puritate verbi Dei, & bonis legibus, & forma Politiæ laudabili, divinitus dotata & ornata. Quod ergo in pace his tantis donis & bonis fui nobis licuit. quod quisq; in summa tranquillitate sub ficu & vite sua sedit: quod reliquis ornamentis & subsidijs vitæ cumulati fuimus: id omne Dei opt: max: erga nos amori, & beatiß. nostri Principis prudentiæ est acceptum ferendum. O vim prudentiæ admirandam! ô divinam animi sapientis vim! qua curavit beatißimus Princeps subditis suis veram de Deo doctrinam proponi: qua externam honestam disciplinam defendit: qua de victu, dequè omnibus vitæ commodis, civibus suis prospexit: qua de hostili incursione immunem rempub fecit.!. Sed hic cursum laudis prudentiæ abrumpo, & ad justiciam nostri Principis cæteraſque virtutes me converto: quas dum strictim & breviter attingo, ut, qua cepistis, eadem me benevolentia dicentem prosequamini, submissè & officioßè rogo & oro.

ordine, atq; præmiorum pœnarumq; legitima distributione Reipub. salutem contineri, tam est notum, quàm nivem algere. In utroq; summis viribus summaquè contentione elaboravit beatissimus noster Princeps. Nam cum magna sit & latè diffusa omnis potentia, fit, ut multorum oculis atq; manibus ea cum primis indigeat. Sed cautè atq; solerter Princeps in officiorum, quibus Reipub. gubernatio continetur, distributione versabatur, ut accuratè inter se munus & personam conferret, neque temerè quenquam majoribus negotiis præficeret, nisi quem sciret mediocriter esse aptum: cum & non rarò in cujusq; officij administrationem solicitè inquireret, & quæ quis in Magistratu gessisset, sedulò cognosceret. Cumq; non inanis gloriæ studio ad ostentationem, nec turpis lucri cupiditate, quasi ad auream messem & mercatorias nundinas, sed honesto proposito fine, & animo in patriæ caritatem confirmato, ad Rempub. accessisset: quemadmodum laudi sibi ducebat, legibus se alligatum Ducem profiteri: ita à civibus celebratos contractus firmiter ac bona fide servari; scelera, furta, libidines, adulteria, defraudationes, homicidia severè coërceri; disciplinam tum in tota Repub. tum in hac Academia sanctè custodiri voluit. Vidimus ipsi Principem, ei, in quo totius Reipub. negotia forensia aguntur, & statis anni partibus summa cum industria tractantur, judicio, toto sui Magistratus tempore, ingravescente etiam ætate, nisi morbus ipsum gravior impediret,

præesse

præesse: vidimus quàm inculpatè alteram aurem reo integram servaret: quàm regiè querelas audiret: quantoperè sycophantas calumniatores & adulatores auribus omnia dantes detestaretur: quàm graviter de effrenata hujus seculi audacia conquereretur, vidimus & audivimus ipsi. cumq; aliquando repertum esset cornu cervinum, quod, ad pariciem affixum, uberrimo, contra naturæ ordinem, sanguine stillavisse dicebatur, & beatissimus Princeps Duci & Dominæ, Dominæ Annæ sorori, hujusq; filio, optimo Principi VVilhelmo, Ducibus Curlandiæ, cæterisq; ad mensam accumbentibus, circumferente nobili Ioachimo Stralendorffio, cubiculario Principis, viro spectato, prodigium hoc monstrasset, & contrectandum atq; inspiciendum dedisset: memini gemebundum dicere beatissimum Principem: scatere terram innocentis sanguinis effusione, atq; hoc nomine Deo gravissimas pœnas debere. Quid? quod odio implacabili δωροφαγίαν, jurisq; illas emtiones & venditiones, ad Rempub. spoliandam vexandã atque corrumpendam excogitatas prosequebatur? veritatis cultor religiosissimus: pactorum servantissimus: arrogantiæ, levitatis, nequitiæ, novitatis osor acerrimus. Antiquas consuetudines & jura à majoribus huic vel illi ordini acquisita regiè tuebatur: fœdera sanctissimè coluit: amicitiam, benevolentiam, studia sua, cum summa mansuetudine & injuriarũ etiam atrocium condonatione conjuncta, exemplo ferè inauditò, vicinis probavit. In vectigalibus,

tributis, oneribus & imponendis & exigendis circumspectus: in doctos, probos, probatæ fidei & pietatis homines: in egenos, in Ecclesiarum pastores beneficus: in extruendis & excitandis ædificiis, cæterisq;, quæ ad commoditatem hujus ditionis pertinere videbantur, tuendis & amplificandis magnificus: in omni vita liberalis, non ut Alexander aut Cæsar, qui quod alijs donabant, alijs eripere solebant: sed ea magnanimitate, quæ generosum, & in longum consulentem, & nemini injuriam inferentem, & cum lacrumis civium neq; se neque alios locupletantem Principem inprimis decet. Venationibus sic delectabatur, vel ut essent disciplina bellicæ meditatio, vel ut recolligendis viribus servirent: cum nec prudentissimæ cogitationes, quotidianis hominum controversijs agitatæ, diutissimè in negotijs consistere ac durare possint, nisi aliquo aliquando otij fructu recreatæ jucunditati sese dederint. Solent alij splendida fortuna plerũq; abuti, atq; beatitudinẽ suam flagitijs, licentia morum, stupris, adulterijs æstimare. ex quo fit, ut ex perditis atq; ab omni non modò spe, sed etiam pietate derelictis conflatam manum improborum secum habeant, neq; fas, neq; pium, neque prudens, neq; rectum colentium, sed libidinibus exultantium, & in voluptate bachantium, cum in magno suorum numero neque audiunt virum bonum quenquam, neq; vident. Longè alia beatissimi nostri Principis mens. Fides in Filium Dei, dilectio, spes, timor Iehovæ: in cognatum sanguinem pietas: in religionem zelus:

zelus: in publicam utilitatem ardor: in disciplinam studium: castus animus, casta lingua, temperantia, fortitudo animi semper cum ipso esse, eiq; verius, quàm Iovis Homerici lancibus Theris atq; Aurora, assistere: putare se in theatro quodam totius orbis terrarum amplissimo atq; clarissimo collocatum ab omnibus conspici, ab omnibus notari, ab omnibus observari, in suam vitam inquiri: Itaq; indefessis & ardentibus precibus se & sua omnia Deo quotidie committere; benefacere, æquitati studere: afflictos erigere: patrocinari pupillis: parcere subjectis: punire sontes: nihil sibi concedere, quod quidem cum leges tùm ne homines quidem concessissent: nihil à religionis & justitiæ sanctissimo & purissimo bono sejunctum se habere existimare, sed eius salute, tùm suam tùm Reip. salutem contineri, atq; adeò in illam omnes suas cogitationes conferri atq; effundi oportere: denique id curare, ut cives beatissimam illam cœlestium vitam in hac mortali conditione imitarentur. Quid multis? quod Cardinalis & Episcopus Capuanus, qui legatus fuit ad tres potentissimos totius Europæ Reges, Carolum V. Hispaniæ, Henricum Angliæ, Franciscum Galliæ; cum interrogaretur, quid in singulis regnis eximium vidisset & singulare, respondit: in Anglia pulcrum Regem: in Gallia pulcrum regnum; in Hispania prudens consilium: hæc omnia de beatiss. nostri Principis administratione verè & rectè commemorari possùt. Quid enim est quod Rep. tàm exornat, quàm si de ea dici possit, quod sit veri

Dei, eiusq̃, quam filius Dei ex sinu patris de conservatione omnium mortalium, in hunc mundum attulit, saluberrimæ doctrinæ domicilium? quod sit justiciæ officina & diasterion? quod sit honestatis omniumq̃ liberalium disciplinarum schola atq; palæstra? aut quid potest dari pulcrius eo principe, cujus animus spiritus Sancti sedes est, & fidei virtutumq̃ heroicarum illustre tabernaculum? deniq; nulla sapientia major dici potest aut excogitari, quã quæ omnes imperij partes sic tuetur, ut & Ecclesia & scholæ & judicia & prætoria & curia & senatus & quæsturæ & archiva prudẽter sint instructa, ne aliquando à pietatis, justiciæ & commodi publici signis, in hac rerum confusione, ad impietatis, tyrannidis & propriarum utilitatum mercaturæ castra aberrent, sed in iis omnia tum gloriæ Dei tum bono civium clarissimè serviant. Non sunt hæc, Auditores, à me ad ostentationẽ laudis beatissimi Principis cumulata: vos ipsi pleriq; hæc verissima esse meministis. Eminuerunt enim hæc omnia & longè plura in beatissimi nostri Principis gubernatione: & quidem non fortuitò eminuerunt: sed eorum donorũ & bonorum fundamenta in Principe præstantissima & celeberrima fuerunt: Bona educatio: exempla majorum: ingenium: familiaritas cum viris magnis & doctis; studium, exercitatio: pietas. Nam benè fuisse educatum Principem, nemo sanus dubitat. credemusnè autem tam ignavum fuisse Ducem Vldaricum, ut Demosthenem, hominem de schola, antelucanæ fabrorum operæ: ipsum autem Ioannis

Theologi

Theologi, Henrici pinguis, Magnorum, Albertorum, reliquorumq; honoribus & rerum gestarum gloria maximè circumfluentium, majorum claritas & trophæa ad virtutem excitare atque inflammare non potuerint? cum in eo tanta esset ingenij ad omnia magna nati divinitas: nec destitueretur prudentibus & magnis viris, cum quibus tum in aula Bavarica adolescens: tum maturiore ætate in comitiis Maximiliani primis; quibus quinque Electores; novem Illustres personæ sacri ordinis; quatuordecim, connumerato nostro beatissimo Principe, Duces Germaniæ, quos seculares vocant, interfuerunt: & in quibus de rebus maximis, de religione, de pace religionis & Germaniæ domestica, de quibusdam Imperij proscriptis, de Turcici latronis Soleimanis immanitate reprimenda actum fuit: tum toto gubernationis suæ tempore conversari potuit, & ab his prudentiam discere, eisq; & consiliaris & præceptoribus uti. nihil enim unquam de suo unius consilio fecit Princeps, antequam bonorum consilia, quæ thesauris preciosiora se habere ostendebat, audiret; semperquè apud se aluit viros claros & prudentes, ex quorum multitudine si duos illos, Iacobum Bordingium, illustris Reipub. Lubecensis hoc tempore consulem, & Ernestum Cotmannum, Iurisconsultos clarissimos, honoris caussa hic nominem, reliqui præstantissimi viri mihi dabunt veniam. In primis autẽ beatissimus Princeps fideli mutorum præceptorum, hoc est, librorum institutione est

usus: quos sciebat nec adulari ipsos, nec adulari sibi pati; hisq3, & præsertim sacro codice atq3 historijs legendis veram prudentiam consecutus est: ad quem finem non tantum studium naturæ indagandæ, quo eum mirificè delectatum novimus, sed in omni honestatis atq3 virtutum stadio perpetuum illum cursum suum conferebat. Quare cum & pius esset, & religiosus, & sacrorum cultor, & Dei amantissimus: Deus ipsum redamavit, dato ipsi gubernatore & consiliorum suorum totiusq3 gubernationis rectore spiritu sancto, qui ejus pectus vera sapientia illustravit, ut & Deum, & se & suos rectè nosset. Nec verò defuerunt pietatis hujus tàm eximiæ fructus alij: auctoritas: conjugium suavissimum: εὐτεκνία: longævitas vitæ. Ornaverat enim Deus hunc nostrum Principem singulari autoritate. qua in sui admirationem omnes orbis Christiani principes rapuit, quaq3 excitati Reges, Imperium, Duces, eum ad dirimenda gravissima negotia adhibuerunt, ipse etiam Cæsar, orbis inferioris Saxonici imperatorem esse voluit: in quo munere Cæsari eximiam fidem, circulo insignem prudentiam, ubiq3 felicitatem suam admirandam ita probavit, ut hoc Duce & exarcho Resp. salva & florens, & si ad vicinas plerasq3 mundi partes aciem animi intenderis, beata extiterit. Quàm autem felix utrumq3 fuerit beatiss. nostri Principis conjugium: quanta prudentia, quantis ingenij viribus, quanta naturæ felicitate, & fuerit Diva Elisabetha Cimbrica potentiss. Reginæ Danicæ mater, quam

ante

ante annos 17. hæc resp. amisit; & adhuc sit prædita Illustriss. heroina ANNA Pomeranica: quam item excellens pudicitiæ, temperantiæ, frugalitatis, omnium honestiss. atq; laudabilium actionum, feminino sexui convenientium palæstra ac schola utriusq; gynæceum fuerit: quàm deniq; preciosa margarita, quamq; illustris corona utraq; tum Reip. tum beatiss. nostro Principi, & hæc, quam reliquit viduam, quàm eximius etiam senectutis ipsius baculus fuerit: res ipsa publica loquitur. Quid de stupendo illo pietatis fructu dicam? quod beatiss. noster Princeps sereniss. filiam suam SOPHIAM, omnibus & animi & fortunæ dotibus divinitus cumulatam heroinam, illustre illud virtutum regiarum speculum, potentissimo Danorum Regi, heroi munificentiss. FRIDERICO II. cujus laus est in benedictione, nuptum dedit, atq; ex hac sapientiæ filia nepotes tres, neptes quatuor quàm maximè florentes vidit; CHRISTIANVM IV. Patri in regnum & gloriam felicitatemq; succedentem: VLDARICVM, in Sverini Episcopæ Administratorem ascitum, Cancellarium hujus nostræ Academiæ hoc tempore magnificentiss. atq; clementiss. IOANNEM, ab Imperatore Moscico in generum adoptatum: ANNAM, IACobo VI. Scotorum, nunc etiã florentiss. Angliæ Regi: ELISAbetham, HENRICO Iulio Duci Brunsvigio & Luneburgio: AVGVSTAM, IOANNI Adolpho, heredi Norvegiæ: HEDVIGEN, CHRISTIANO II. Saxoniæ Septemviro, potentissimis, sereniss. & clarissimis

totius

totius ferè Christiani orbis principibus, elocatas vidit, & ex plerisq; pronepotes sibi natos summa cum lætitia intellexit?

Hos fructus pietatis amans, hæc cõmoda cer-
nit! En hæc in terris dona beatus habet!

Satur ergo annorum & vitæ, hic Atlas orbis nostri, hic currus & auriga Reipublicæ, hic pater patriæ, hic Musarum patronus, hæc justitiæ tutela, hic omnium virtutum condus promus, princeps clarissimus, imperator felicissimus, Dux mansuetissimus, in vera agnitione & celebratione Filij Dei, & publica cœlestis doctrinæ confessione, cum vixisset fermè 76. præfuisset Episcopatui 53. Reipublicæ 50. annos, inter desideratissimos filiæ, conjugis & fratris amplexus & lacrumas piè & placidè expiravit. O te beatum Vldaricum! qui ita quidem vixisti, ut, quamdiu gentes erunt, tamdiu homines futuri sint, qui tui memoriam summa cum gloria tua retineant: quiq; Te dicant à perenni contestataq; virtute majorum perillustri celebriq; familia parentibus maximis atq; clarissimis genitum, pietate, religione, justitiæ cultu, literarum amore, auctoritate supra omnes nostri ævi homines facilè excelluisse: ita autem mortuus es, ut jam in conspectu Dei lætus, & ingenti cum desiderio, glorioßissimum illum restitutionis omnium rerum diem, quo, redeuntibus in vitam omnium terrarum seculorumq; omnium hominibus, domicilium suum animus recepturus est, inenarrabilibus votis expectes. Quanto ergo in gaudio nunc exultas

exultas ô VLDARICE Princeps! quanta lætitia circumfluis! tanta profectò, quam nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in ullius hominis mentem & cogitationem descendit. At quanta rerum & bonorum jactura te abrepto facta est! Tu enim ô Germania, communis patria nostra, tu columnam amisisti: non marmoream, sed Principem, in cujus consilio & auctoritate tanquam fulcro quodam tutissimo requiescere poteras! Tu Megapolis patrem patriæ! Tu Christiana Respub. civem, qui te majori complexus est amore, ac filius unicus matrem, quiq; de te magis, quàm de sua salute erat sollicitus! Tu Saxoniæ orbis inferior imperatorem & ducem præstantissimum! Tu autem, Academia nostra, patronum clementissimum amisisti; Quid heroicas illas animas memorem, serenissimam Reginam Daniæ SOPHIAM, quæ patrem? Illustrissimam Principem ANNAM, quæ maritum & Dominum! Celsissimum Ducem CAROLVM, qui fratrem ex multis unicum? Illustrissimos juniores Principes, FRIDERICVM ADOLPHVM & IOANNEM ALBERTVM, qui patruum magnum & parentem alterum? quid Daniam, Angliam, Scotiam, Saxoniam electoralem, quid Guelphicam, quid Holsatiam, quæ avum & proavum? quid Brandeburgum, quid Hassiam, quid Pomeraniam, Saxoniam inferiorem, Curlandiam, quæ affinem, sobrinum, agnatum, avunculum hoc uno præstantissimo Principe abrepto amiserunt! Accurrite!

Accur-

accurrite! & cognoscite, num sit jactura hâc ipsâ major, vel, num dolor sit aliquis gravior hoc ipso quem ex morte tanti Principis, columnæ illius imperij, defensoris Ecclesiæ, veræ pietatis & constantiæ miraculi, cum universus, tùm hic Megapolitanus orbis concipit tantum, ut non solum agri lugeant, sed serenissimi cum primis atq; celsissimi gentiles, Filia, Conjunx, Frater, Nepotes, Neptes, Pronepotes, Proneptes, Affines, incredibilem suum, quem ipsis fatum Patris, Mariti, Fratris, Avi, Proavi, Patrui magni, Avunculi, Affinis infixit, luctum, planctu, lacrumis, gemitibus, ipsum etiam numerum propemodum superantibus, contestentur? O fata! ô tempora! Sed quid planctui indulgemus? quid gemitibus omnia complemus? quid dolori frenos indecorè laxamus? Recipiamus potius animum, & oculos ab hoc tristi & acerbo Reip. vulnere, cujus cogitatione omnium animis necesse est luctum & mœrorem concitari, ad contemplationem avertamus tum heroicorum & præstantissimorum animorum, tot Reginarum, Regum, Ducum, Principum, ex hoc uno Principe VDALRICO procreatorum, in quibus beatissimi Principis virtus & nomen vivit, vivetq; seclis innumerabilibus: tùm reliquorum beneficiorum, quæ à DEO per hunc ejus vicarium in universam hanc Rempublicam, multitudine infinita, magnitudine eximia collocata tenemus, horũq; memores, pia recordatione, talem Principem, à nobis ad eas oras, quas, qui inhabitant felices sunt, profectum prosequamur;

mur; ac Deum supplicibus votis rogemus, ut tot heroicas animas morte beatissimi nostri Principis graviter percussas, & in primis serenissimam Dominam SOPHIAM, pietate, prudentia, & meritis in hanc Rempublicam insignem heroinam, bonitate atq; clementia eximiam Reginam; Potentissimum Regem CHRISTIANVM II. omnes muneris regij partes divinitus explentem: Illustrissimam ANNAM, ex celsissimorum POMERANIÆ Ducum familia præstantissima oriundam: Celsissimum Principem ac Dominum CAROLVM, egregia voluntate & excellenti virtute Ducem: Illustrissimum & regium Principem, VLDARICVM, heredem Norvegiæ, Principem magnanimum, Academiæ hujus Cancellarium magnificentissimum, ad omnia magna natum: Illustrissimos juniores Principes, FRIDERICVM ADOLPHVM, & IOANNEM ALBERTVM, Principes juventutis, in quos serenissimæ domus Megapolitanæ spes inclinata propemodum recumbit, Dominos clementissimos, ipse spiritu suo consolationis regat & illuminet, ipsosq; in caussa religionis, justitiæ, disciplinæ, literarum ac totius Reipublicæ provehenda, ad nominis sui gloriam, clementer & misericorditer in multos annos incolumes & florentes conservet.

ORA-

ORATIO IV.

PARENTALIA ANNIVERSARIA PRIMA.

QVod de viro Musico, atq; in dicendo artifice, de Orpheo, scriptum accepimus, Magnifice Domine Rector, Clarissima & Ornatissima Concio, eum sumpta, qua Tigres lenire dictus est rabidosq; leones, cithara, cantus incredibili suavitate fata demulsisse, effecisseq; ut eorum beneficio Eurydicen uxorem in vitam è mortuis revocatam reciperet: id optandum fuisset multò magis potuisse nos, ad Principem illum Deum ardentissimo pectore effusis precibus, impetrare, ut Celsissimo & Illustrissimo Principe ac Domino, Dn. VDALRICO, Duce Megapolitano, Principe vetustæ gentis Henetæ, Propræsule & Comite Sverinensi, terrarum Rostochij & Stargardiæ Domino, licuisset nobis nutritio & patrono in plures annos superstite uti frui, neq; illud immortalitate dignum ingenium, illa clementia divina, illa virtus heroica, erepta nobis fuisset. Nunc quia, vel ulciscendis nostris, quibus cœlum

sæpis-

sæpissimè offendimus, erroribus, vel continendo in officio, quotquot literis honestam in hac Academia operam damus, Deus nos in illud tempus, cujus memoriam hodiernus nobis dies renovat, tempus studijs aliquando luctuosum, reip. acerbum, omnibus bonis grave conjecit: jure quidem & meritò dolorem nostrum refricamus, sed ita tamen, ut de tanto patrono nobis omnes quanta possimus animi contentione maxima gratulemur, diviq; VLDARICI in nos nostramq; hanc Rempub. meritorum memoriam nulla unquam apud nos oblivione deleri patiamur, sed prædicatione foveamus, & intra hos parietes, qui mihi audito hujus sui nutritij nomine quodammodo recreari visi sunt, intraq; hoc sanctum atq; augustissimum pietatis atq; eruditionis templum grata recordatione celebremus, & oratione nostra sæpius sæpiusq; repetitam posteritati consecremus. Atq;, utinam Auditores, gloriosissimi Principis VLDARICI virtuti & nominis immortalitati ego in hoc anniversariæ laudis initio ornatissimis & gravissimis verbis satisfacere, aut tantum in eo celebrando afferre possem eloquentiæ, quantum optimus Princeps, cujus auctoritate hunc locum divinitus obtineo, gratiæ in me & ornamenti vivus quàm benignissimè contulit; efficerem profectò, ut non tantum hominum Clarissimorum & splendidissimi hujus consessus expectationem præclarè sustinerem, sed laurea etiam illa beatissimi Principis, non manibus sed ingenij ipsius magnitudine sata,

neq; succo aut aqua, sed amplissimis inremp. universam studijs alita & confirmata, per omnia seculorum secula sermonibus nostris propagata, viriditatem suam inter homines, dum in terris erunt, qui virtutem colent, diutissimè tueretur, atq; conservaret. Sed non adeò effrons demensq; sum, ut non intelligam, quàm id minimè rectè, quamq; minus cùm excellentibus sanctissimi Principis virtutibus, tùm perpurgatis vestris auribus dignè à me fieri posit. Effigiem sæpè vidimus, augusta vultus atq; oris specie, oculis divinum quiddam relucentibus, rosea & perpetua quadam juventa purpurante facie, erecti corporis, quod gravitatem simul & mansuetudinem præ se ferret, majestate, ipsum divum Principem tanto artificio exprimentem, ut cum Zeusidis uvis, aut linteo Parrhasij, aut Timanis Iphigenia facilimè in certamen descenderet. quod pictoribus quidem licuit, quorum obtutibus omnia corporis lineamenta, quæ ad aspectum honestas collocavit, obvia sunt; atq; ad penicillo imitandum patent. Verumenimvero divi VLDARICI virtutes animiq; bona illa, Prudentiam, justiciam, fortitudinem, temperantiam, clementiam, pietatem, oratione sic describere, ut, quantæ in ipso revera fuerunt, tanta quoq; legentibus aut audientibus appareant: id ipsum non in dicendo hominis, sed Dei alicujus judicio. A quo cum ego, qui neq; ingenio, neq; exercitatione, neq; eruditionis atq; doctrinæ copia, neq; memoria ne quidem cum infimis

simis comparandus, quam longissimè absim, etsi fortasse impudens sum, qui meis humeris onus impar susceperi, tamen cum dicendi personam necessitas mihi imponeret, certè vel cum periculo privatæ temeritatis non esse prodendam publicam caussam, neq; committendum putabam, ut, dum pudori meo consulerem, ijs turpiter refragarer, quorum nec benevolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere potui nec debui. Nec verò omnia, quæ à vobis expectantur, quæq; verissimè de hoc Principe dici possunt, virtutum illa factorumq; præconia commemorabo: sed eorum tantum, quæ à divo Principe in administratione Reipub. prudenter, quæ justè, quæ fortiter, quæ moderatè, quæ piè facta sunt, summa capita quædam delibabo. A te, Magnifice Domine Rector, concio clarissima atque ornatissima, summa contentione peto, ut divi VLDARICI Principis laudes oratione, neque ad ostentationem magnifica, neque ad prædicationem tantæ virtutis, ijs quibus maximè debebat, divitiis instructa, repetenti mihi vacivas aures, quæ vestræ insignis est humanitas, accommodare non graveminì Soleo itaque sæpe animum oculosq; convertere ad sapientiæ doctores, qui Principes viros solent commendare illos, quorum vitæ ratio sic comparata est, ut affectus in gyrum rationis ducant, atq; rabidissimam ancillam dominæ imperio subijciant; indeq; judicare, eos aptos natos esse, quibus Respub. committatur, quiq; eì

commodè cum omnium salute præsint. Est enim permagnum & Herculeum planè opus, sibi ipsi imperare: quod nisi summis prudentiæ viribus perficitur, patetq; adeò latè, ut existimatum sit, eum, qui tempestates animi sedare, nequitiam coercere, libidines domare, ratione duce, possit; ad gubernacula rerum capessenda tantò digniorem esse, quantò ad animi benè compositi excellentem vim majora virtutis vel ornamenta vel adjumenta afferat. De beatissimo Principe VLDARICO quid dicam prius, quid posterius? commemoremnè genus? quod clarissimum est. an potentiam? quæ major in hoc Principe esse non potuit. an divitias? quæ cum Regum multorum amplitudine certarunt. an imperij magnitudinem? quod totius inferioris orbis Saxonici circulo circumscriptum fuit. nihil horum dicam, quæ omnibus notissima sunt; quæquè Principe nostro cum multis communia fucrunt. Illud, quod divum VLDARICVM verè principem fecit, tacitus præterire nullo modo possum: ita eum Wolffgango Leopoldo, viro erudito & gravi, magistro; Bavarica aula, ad quam adolescens missus fuit, informatrice; rerum, laudabiliter cum alijs ab heroibus tũ à majoribus ipsius gestarum, memoria administra; Duce ipso Spiritu Sancto, vitã à teneris instituisse, ita effinxisse, ita composuisse, ut in omnium rerum licentia modum teneret: ut mentem à cupiditate, manus ab avaritia, oculos à libidine revocaret: ut contumaciam, superbiam,

biam, acerbitatem extremè odisset: ut adulatores, sophistas, nugatores, calumniatores ex animo detestaretur: ut iracundiam refrenaret, voluptates sperneret, cæteras animi labes repelleret. O verè Principem virum, & cujus fidei Respub. se concredat, dignissimum! Itaq; cum, divinitus adjutus, Princeps summis prudentiæ viribus à se obtinuisset, ut sibi dominari posset: cum incredibili & nunquam intermoritura sagacis judicij deprædicatione, perpetuaquè universæ reipub. gratulatione ad eam accessit. In cujus orbe ita versatus est, ut non minus ab exteris, quàm quos subjectos sibi habebat, ingenium atque industria ipsius spectaretur. Nemo est in Germania hac nostra ita hospes, nemo in historia tam rudis, aut omnium rerum tam ignarus, ut nesciat, quam gravis aliquando afflixerit domicilium hoc imperij Romani calamitas, ijs præsertim temporibus quibus bellum inter Carolum V. fortunatissimum Imperatorem, & Franciscum, Galliæ Regem potentissimum, nuper ex captivitate, in quam ipsum infelix illa ad Ticinum pugna conjecerat, dimissum, pontificis flabellis resuscitatum recruduit: quo Hispania, & Italia, & Gallia quidem arserunt: Germania autem à conflagratione, ex ignibus illis concepta, non procul abfuit. Atque illa quidem prætereo mala, quibus mactati fuimus, cum Principibus Christianis, infestissimis armis inter se digladiantibus, Buda à Soleimane perfidiosè occupata: Ludoicus, Vngariæ Rex, 1526.

turpiter cæsus: Vngaria, Christianæ reipub. propugnaculum, horribiliter vastata fuit. Intus incluſum erat periculum, intus insidiæ erant, intus erat hostis peni-
1548. tus, in visceribus atq; venis Germaniæ. Promulgatum infelix illud Augustæ Vindelicorum inauspicatißimo partu editum, Interim. Evangelici banni fulmine percußi. Magdeburgum jussu Imperatoris co-
1550. rona cinctum. Carolo V. à confederatis bellum illatum. pulsus orbis terrarum Dominus Germania. Noribergensium & vicinorum Episcoporum fines incendijs vastati. Erphordiensium ager direptus. Hal-
1552. berstadium occupatum, cognatæ acies Mauricij Electoris & Alberti Brandeburgici, Alcibiadis Germanici hostiliter visæ concurrere: tentata bello Saxonia: inflammatus Guelphus; Mansfeldia vexata: Dithmarsi sub jugum redacti: Balthes vicina litora diu-
1563. turno Daniæ & Sveciæ conflictu cruentata: turbatum
1567. Belgium: Gotha sola æquata: quid multis? tota Germania quasi è sedibus suis convulsa tremere atq; conquassari. In hac rerum omnium perturbatione, cui nec leges imperabant, nec pudor aut pietas moderabatur: in qua vicinum scelere elidere, populationibus atq; incendijs longè lateq; grassari, neminem, nisi cui pax erat, hostem putare, domesticum nostrum erat malum: denicq; in qua vivæ videntiq; Germaniæ funus acerbißimum ducebatur: quod lectißimus Princeps Remp. suam, tot vicinis malis, veluti decumanis quibusdam fluctibus, undicq; cinctam atq; circumsessam

ita

ita gubernavit, ita rexit, ita accommodavit, ut nec blanda aura in vada salebrosa pelliceretur, nec maris feritate in scopulos illideretur: si non tantæ, quanta in hominem cadere possit, prudentiæ opus judicandum sit; nescio equidem, quid prudentiæ nomine appellari debeat. Quod si audire nobis licuisset crebra illa cum consiliariis, quos in omni vita secum habuit excellentissimos, privatim habita de Deo, de religione, de repub. de rebus maximis colloquia: si penetralia illa & penitus secreta tecta, quæ prudentissimos eorum sermones fidelissimè semper exceperunt, ejus nobis possent commemorare & in consilio vim, & in oratione sententias, & in sententiis gravitatem: nullum mihi relinqueretur, Auditores, dubium, quin statueritis, nihil illo in hoc genere fieri potuisse perfectius. Etsi verò Duce Georgio, Fratre Principis, juvene magnanimo, cum pro aris & focis pugnaret; ictu tormenti ad nobile Frăcofurtum, quod est ad Menum, sublato; & Henrico patruo, omnium literis & monumentis memorando Principe, domi in patria mortuo, initia gubernationis 1552.
in tempus aliquantò iniquius incidebant: tamen eam temporis formidolosissimi tempestatẽ, quæ toti huic Ducatui naufragium minitari videbatur, sua, in omni seculorum memoria celebranda, prudentia divus Uldaricus compescuit & sedavit, ut sine sanguine civili & cæde navis Reipub. in portum tranquillum deducta, salva in eo & incolumis, utcunq; hinc belli septentrionalis procellis, illinc Hispanici latrocinij æstu, multisq;

alijs fluctuum agitationibus ingruentibus & eam allatrantibus, toto illo tempore, quo per annos quadraginta novem gubernationi præfuit, singulari Dei in eam favore, periculis & consilijs beatiß. Principis, consisteret atq; permaneret. O fructum prudentiæ incredibilem, atq; omnium regionum linguis usurpandum! Domuerit C. Iulius Cæsar gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: hac laude prudentiæ Principis nulla est major, nulla amplior, nulla augustior. Illa enim Iulij lacrumarum & direptionibus plenißima fuerunt: hæc VLDARICI prudentiæ facta tantum abest, ut gemitus caussam ulli hominum dederint, ut illorum magnitudine agri etiam atq; campi mirificè tum recreati adhuc lætentur. Nolite existimare, Auditores, dicis aut orationis augendæ causa hæc à me afferri. Aspicite Belgium, oculos convertite in Vngariam, lustrate huic vicinas regiones: & vel cogitatione, si potestis, hoc assequimini, quanta sit quamq; deploranda calamitas, eum, cui hodiè amplißimæ erant fortunæ, cui summus honoris gradus, qui vesperi cum conjuge, cum liberis, cum familia corpus ad quietem, securus hostium, composuerat; sub noctem intempestam, vi Turcica haud opinatò irruente, nudum ejici domo, focis patrijs præcipitem deturbari, inter immanißimas gentes abductum ante oculos oraq; sub hasta venditionem liberorum, filiarum stupra, adulteria conju-

gis

gis conspicere, & in miserias inextricabiles miserrimè conjici. Quod si hæc fortasse, tanquam ab oculis & auribus remotiora, minus quem moveant, is mihi vicinam intueatur Livoniam. num quis sine rorantibus oculis recordari poterit calamitatũ illud pelagus, in quod nobilissima olim illa provincia præcipitata 1600.
est? num quis, cui non pro corde saxum est, siccus meminisse poterit direptionum, vastationum, pestis, flammarum, rapinarum, stuprorum, parricidiorum, inauditæ truculentiæ, qua liberi parentes, & hi illos, famis crudelitate exstimulati, infandis modis multipliciter devorarunt: quibus cum execrandis portentis ista orbis Christiani pars jam aliquot annos conflictatur, ut, nisi Deus noster, in cujus manu mors est & vita, bellum & pax, perditio & salus, animam propemodum agenti Livoniæ succurrat, verendum, ne paullò post exspirasse illam audiamus, & fœdissimè intermortuam lugamus. Quod si neq; hæc tam atrocia, tam abominanda, tam detestanda quenquam percellant, is in vicinos populos, eosq; potentes & rerum magnitudine claros, animi aciem intendat, & quàm parva interdum offensione, civium, non tantum res in periculum adduci, sed universæ quoq; commoditates, veluti unica grandine totius anni fruges, auferri facilimè possint, reipsa liquidò discet. Hæc cogitemus, hæc sapiamus, his perculsi, in beneficiorum, quæ DEVS prudentia VLDARICI toti huic Reip. parta reliquit, commemoratione triumphemus, & ut æterna sit illorum

apud nos possessio, eum, qui solus omnia potest, supplicibus votis exoremus. An verò quæ ita prudenter à divo Principe facta, gratissimi animi memoria repetimus, sine justicia, sine fortitudine, sine singulari animi moderatione præstari ab ipso potuisse, credendum est? Nam cum Reip. felicitas diuturna esse non posset, in qua & improbis quidvis agendi licentia concessa est; & scelerati legum vincula, tanquam aranearum telam crabrones, perrumpunt; & facinorosi in curia, in foro, in dignitatibus volitant; & ipse gubernator ignavia, scelere, libidinibus, crudelitate, rapinis, turpitudine diffluit: profecto is providè & considerate civitatem rexisse dicendus erit, qui justè, qui fortiter, qui moderatè omnes regij officij partes tuetur, atq; in his anchoris fundatam reipub. salutem habet. Qua re beatissimus Princeps, ut, quem sibi in Republ. proposuerat, finem eò felicius assequeretur, atque non ad messem suam, sed eorum, quibus præerat, utilitatem, magno cumulo, omnia referret; primò omnium collapsa propemodum in his terris judicia, qui-
1552. bus & causæ tum civiles tũ Ecclesiasticæ dijudicari solent, & inter subditos pax, & reip. sua dignitatis ornamenta ac stabilitatis præsidia conservantur; solertia summa, side pari, cũ fratre Ioanne Alberto, heroe tũto, ut nominis illius celebratissimi in multis Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Daniæ & Sveciæ oris, cum honorificentissima rerum ab ipso præclarè gestarum usurpatione circumferatur memoria, restauravit: non, ut instar reis

cujusdam

eujusdam minores feras illaqueantis, belluas transilientes ne quidem attingentis, ita ipsa quoq; hominum imbellium laquei forent, potentiores minimè tenerent: sed ut essent theatrum edito loco atq; conspicuo positũ, in quo ad legis divinæ & juris civilis præscriptum, non secus atq; ad æquamenum, omnes lites decideréntur, & jus tam ijs, quibus aut parum aut nihil est, quàm his, qui abundant, à viris sapientia, eruditione, veritatis ac pietatis amore insignibus quasi appenderetur. Quod ut ipsum eò rectius & sine querela fieret, beatissimus Princeps, exemplo propemodum incomparabili, tum summa cum religione, maximo ingenij acumine, sine ulla vel temporis vel laboris exceptione, etiam ingravescente ætate, nisi incommodior eum valetudo haberet, judiciis praesse, tum, quas subditis dederat, leges ipse accipere, cum immarcessibili nominis sui gloria consueverat. Sed vana est lex, inania sunt judicia, nihili est omnis potestas, si magistratus vel malignitate vel negligentia vel mollicie nec ulli suum tribuat, & delinquentibus sententiaquè condemnatis impunitatem, bonis dolorem afferat. Expugnentur licet urbes: corripiantur gentes: regnis injiciantur manus; nisi foro, nisi curiæ, nisi tribunali officium atq; executio sua constiterit, partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit. Te quibus, ô dive Vldarice: tecum enim nunc libet loqui, si qua vox ad te nostra pervenire

poteſt: te, inquam, quibus, dive ULDARICE, verbis efferam? quibus præconijs extollam? quo benevolentiæ genere proſequar? tu facinoroſis nullus peperciſti: tu vitia hominum atq; fraudes damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte mulctaſti: tu blaſphemos gladio, latrones rota, veneficos flammis, fures laqueo, homicidas enſe ultus es: tibi, ne vel adulteria, vel ſcortationes, vel calumnias, vel ullum atrocius ſcelus impunitum abiret, cautio propria erat: ut paucis multa; tu ſuperiores cum inferioribus, maximos cum minimis, divites cum pauperibus, legum juſta adminiſtratione, ceu aurea Jovis catena, devinctos colligatosq; tenuiſti, ut, quemadmodum ſubterraneus Planetarum motus primi mobilis æſtum ſua contatione retardat, ſic ipſe æquilibritate juris dicundi totum hunc orbem tuum politicum à ſeditionum incendijs & latrociniorum flammis ſalvum & incolumem conſervares, orphanorum pater, viduarum judex, omnium injuria oppreſſorum vindex atq; aſſertor. Quis recordatione tui nominis non lætetur? quis non geſtiat? quis non exultet? quis non triumphet? cum & in judicando tantam fidem, & in exequendo tantam fortitudinem adhibueris, cum qua nullius ferè hominis fortuna conferri poßit. Neque enim quod multis accidit, Auditores, ut à juſta ſententia vel ſummorum virorum precibus, vel voculationibus improborum, vel hominum levium ſermonibus avertantur: id beatißimus ſibi Princeps unquam

quam evenire passus est: sed magnitudine animi invicta, sicut in tota vita pudicitiam, temperantiam, liberalitatem, humanitatemq́, quæ cum Cyri, Scipionis, Agesilai, summorum regum, virtutibus certarent, sanctissimè coluit: sic justitiam severè administravit, & ferri ultoris aciem in omnem, tum necessitudinibus & divitijs exultantem, tum infamia atq; inopia perditam improbitatem intrepidè vibravit. Quod tamen non ita accipiendum est, ac si inexorabilis quisquam Minos aut fatalis Rhadamantus fuisset. Iustitiam enim cum clementia natura in eo temperaverat ita mirificè, ut non modo in judicium sævitiæ, aut iræ impotentis, aut ulciscendi libidinis, sed ne in tenuissimam quidem suspicionem vocaretur, neq; venerandos suæ dignitatis fasces apud ullum ordinem ludibrio exponeret. Itaq; & delinquentibus sæpè ignovit, & supplicibus opem tulit, & afflictos excitavit, & non cupiditate aut pravitate aliqua lapsis salutem dedit. Quid illam moderati animi vim commemorem, quod beatissimus Princeps cum reipub. offensione conjuncta interdum negotia mansuetissimè egit, nec læsus ad arma semper provolavit, sed quorundam ferociam lentè contra eundo repressit, quorundam arrogantiæ indulsit, non etiam nullorum temeritatem conniventibus oculis præterijt? Quæ cum gratulationibus innumerabilibus digna sunt, tum illud in omni ævo admirabile & ad moderati animi decus sempiternum pertinet, quod cum inter Principes & hanc urbem, quæ 1565.

Academiæ

Academiæ hujus annos jam ferè ducētos hospitium est, civilis dissensionis flamma exarsisset: beatissimus Vldaricus, intercedente pro urbe hac ipsa Academia per legatos suos Davidem Chytræum & Ioannem Posselium, qui nunc sunt ἐν ἁγίοις, præstantissimos, allaborantibus provincialibus, intestini belli incendium salute urbis restinxit, pactis conditionibus; quas tanta fide coluit, ut nunquam ab illis abduci aut dimoveri se cuiquam commiserit. Sed venio nunc ad eam virtutem, sine qua superiora illa, quæ à Principe in repub. prudenter, justè, fortiter, moderatéq; administranda præclarè extructa fuerunt, prostrata jacerent omnia: pietatem dico, qua & Cæsarem, & patriam, & Academiam, & Ecclesiam, & DEVM prosecutus est: cujus splendor in Principe tantus fuit, claritas tanta, tanta dignitas, ut hæc à Deo donata, superiora illa ab homine commodata visa fuerint. Multi ijquè præclare sæpè viri, quem fructum honoris ex subditis capiant, sollicitis articulis supputant: quam verò superioribus debeant obedientiam, aut dissimulant aut negligunt. Vldaricus Princeps, uti rectè imperare, ita rectè quoque obtemperare didicerat orbis Domino, Cæsari Germano. hujus nutui, tanquam in vigilia quadam senatoria, semper stabat. hunc summo honore toto suæ vitæ tempore afficiebat. ab hujus mandatis & fide ne latum quidem unguem discedebat. hujus gloriæ, hujus incolumitati, hujus saluti, quicquid à Principe, Res-

pe, Reipub. studiosissimo, & jurisjurandi servantissimo proficisci potest, more majorum religiosissimè tribuebat. Novit tota Germania, novere omnes Imperij status: novit ipsa invidia: tanti semper factam fuisse à divo Principe VLdarico sacram Imperatoriam Majestatem, ut cum hujus nostri in Cæsarem, orbis terrarum Dominum illum, observantia, nullius populi in suos Magistratus studium, quantumvis excellens illud atque eximium, comparari possit. Proponite enim vobis, Auditores, illas ad comitia Augusta bis à Principe diversis tem- 1566.
poribus, cum summa illustriq; magnificentiæ atq; ex- 1580.
celsi animi commendatione, susceptas profectiones. Cogitatione repetite vigilias, labores, sumptus, pericula, curas, molestias, quas pro Germaniæ libertate & dignitate VLdaricus, sacri Romani Imperij princeps, orbis inferioris Saxonici Imperator, exorbuit. Suboat vestrum animum supremi illius temporis recordatio, cum Princeps, reliquis plerisque Ordinibus moram, nescio quam, nectentibus, vel solus, vel certè cum paucis, Oratores suos, nobilitate, eruditione atq; auctoritate insignes, Cuno-Wolffradum à Basseviz, Equitem Megapolitanum, Senatoremq; provincialem, 1603.
Bartholomæum Clingium & Hajonem à Nessa, Iurisconsultos clarissimos, consiliarios aulicos, & hujus Academiæ antecessores, ad comitia Ratisponensia, locupletissimos perpetuæ suæ in Cæsarem & Remp. observantiæ testes ablegaret. Itaq; commemorabunt posteri &

ri & sermonibus alent VLDARICI divinam, & in gubernanda Repub. prudentiam, & in justicia cernenda fortitudinem, & in consilijs sapientiam, & in tota vita tum publica, tum privata, magnificentiam, continentiam, moderationem, mansuetudinem cumq; gratijs contemperatam illam gravitatem: hanc autem erga orbis terræ Dominum reverentiam, hanc in Imperium fidem, hoc in Germaniæ Monarcham studium ipsa æternitas intuebitur atq; obstupescet. Quam verò detestandi sunt Caligula, Nero, Galba, Domitianus, generis humani harpyiæ, à quibus pietas, jura, leges, sub barbaricum jugum missa? qui rapinis, exactionibus, profusionibus cives crudelissimè exhauserunt? qui Imperij amplitudinem, inexplebili libidine habendi, ceu acerbissimo quodam milite, invaserunt, ut nihil vi & Tyrannide violari, nihil fastu & crudelitate extorqueri, nihil elata manu perfringi posset, quod non illi oppressum atq; ereptum tenerent? Noster Princeps, & Cæsarem sine fuco ac fallacijs colebat, & cives suos benevolentia ferè paterna complectebatur. Ac ut cætera relinquam, cui vestrum, Patres Academiæ, cælestis ac divina benefaciendi potestas, studio cuidam ardoris & inflammatæ voluntatis copulata, qua Princeps omnes reipub. partes non solùm optimè, sed etiam summa cum gloria procurabat, ignota esse potest? Vidistis ipsi plerique Principem non rarò pro communi utilitate vigilantem, pro fortunis subditorum excubantem, pro patriæ dignitate

gnitate curas & labores tum graves tum varios tanta cum animi & corporis contentione atq; alacritate subeuntem, ac si sua salus, sua res, sua vita in uniuscujusq; privati salute verteretur. In quem verò hominum unquam injurius fuit Princeps? cui ille aut opibus ornato, aut auctoritate munito, aut pactis conventis gaudenti, insidias, vim, laqueos tetendit? cujus ille legitimam justamq; libertatem aliqua imminuti juris contagione funestavit? cum quo ille unquam, nisi cum vitijs & sceleribus, bellum gesßit? quodnam ille judicium vel largitionibus, vel gratia, vel opibus, vel etiam solitudine & inopia corrumpi sciens volensq; passus est? cui ille ordini injustas, & populum deglubentes, exactiones unquam imperavit? quis denique de beatißimo Principe vel suspicari vnquam ausus fuit, eum pacis vel belli leges suis commodis metiri: consilia ex usu temperare: sanctitatem, veritatem, justitiam, fidem, pactorum religionem suæ utilitati callidè postponere? Procedat ipsa ex Diaboli cerebro fata calumnia, atque si poterit; poterit autem nunquam; veritatem hanc mendacij insimulet atque arguat! Iam quantum illud est ingenij lumen, quanta pietatis, quamquè incredibilis existimatio, quam Divus Princeps in hanc Academiam suam, quo ad vixit, non verbo, sed opere & reipsa luculenter contestatus est. Iacebat hæc regia, quam Duces Megapolitani & hujus ur- 1419.

bis Senatus erexerant, schola aliquando omni pro-
Cranz lib 11. Metr. c. 22. & 21. Vād. c. 32. pemodum honoris atq; dignitatis splendore carens-
Sed Princeps, qui se in religionis & in legum custo-
dia ac sacrorum tanquam specula sciebat collocatum:
noverat, atque, usu edoctus, Academiarum digni-
tatem amplissimam, utilitatem immensam, neces-
sitatem inevitabilem cognitam perspectamquè habe-
bat. Sunt enim Academiæ in Republica honori-
ficæ, quia verum decus: utiles, quia præstantissimos
& pulcherrimos sapientiæ omnisq; honestatis fatus:
necessaria, quia universæ Reipubl. salutem am-
bitu suo, tanquam cornu quodam Amaltheæ, con-
tinent ac edunt. Vis in dignitatis fastigio, eoquè
amplissimo atque clarissimo civitatem constitui? A-
cademias fove & cole. Vis tibi verum honorem,
æternum decus, ornamenta immortalia conciliа-
re? Academias fove & cole. Vis pietate, ijs
què, quas nec ferrum demoliri, nec ignis consumere,
non imber edax, non Aquilo impotens possit diruе-
re, divitiis animum explere? Academias fove
& cole. Vis scire vias, quomodo pax in civita-
tibus, in republica tranquillitas foris domiquè quàm
diutissimè conservetur, tumultus & bella cruen-
ta vel caveantur, vel illapsa rectè administren-
tur feliciterquè finiantur? Academias fove & cole.
O Academiarum dignitatem! ô præstantiam schola-
rum! ô studiorum majestatem! ut non mirum, si post
homines natos scholæ & Academiæ à viris excellen-
tibus,

tibus, divinitus excitatis, constitutæ & conservatæ fuerunt. Etenim, ut à Patriarchis domi celebratas, quarum sacræ literæ meminerunt, scholas silentio involvam: nemo, opinor, est in historia populi Israëlitici ita peregrinus, ut ignoret, publicam juventutis institutionem primò omnium Mosi & Aaroni, deinde, cum hi duo tanto operi tamq; variis multiplicibusq; laboribus distracto, non sufficerent, toti tribui Leviticæ, quæ ob id per totam Iudeam in 48. urbes postea dispersa & amplissimis proventibus annuis ditata fuit; graviter & severè commendatam fuisse; ut in scholis publicis naturam rerum, historias, Musicam, Medicinam, jus, Theologiam & Mathematicas disciplinas juventutem docerent, & de gravissimis rebus inter se conferrent. Huic publico docendi muneri Levitæ, mediatè à DEO vocati, & à Davide in 24. classes distributi, continua & perpetua successione præfuerunt, usque ad salutiferum illud, quo servator noster in carne apparuit, lætissimumq; tempus. Quo cum in duas quasi familias scholæ Iudaicæ abiissent, alteram Pharisæorum, alteram Iesu Christi: hujus procuratio ab ipso Domino discipulis commendata, tanta ab ijs fide suscepta fuit, ut per gravissimos atque creberrimos Doctores religio pura cum artibus & linguis per totum terrarum orbem disseminata propagaretur. Postea cum celeberrimæ illæ, Alexandria, Antiochena, Tarsensis, Argentoratensis, Agrippina, &

aliæ in Græcia, Italia, Ægypto, Hispania, Pannonia & Gallijs, scholæ & Ecclesiæ, in quibus partim ab Apostolis, partim ab horum discipulis lux Evangelij accensa cum bonis disciplinis & linguis fulgebat, barbarie polluerentur, nonnullæ etiam vastarentur: paullatim collegia Canonicorum extiterunt, politioris literaturæ & pietatis officinæ, & Ecclesiæ atque Rerumpub. seminaria. Verum cum in ijs literarum studia negligi cepissent, Canonicis aut aularum negotijs aut bello impeditis, relegatum est docendi munus in Monasteria & claustra; quæ cum & ipsa tum ceremoniarum multitudine; tum divitijs amplificata obbrutescerent: factum est, ut filia matrem devoraret, & ut his, quibus studia cordi erant, excluſis, retentisq; superstitionum mancipijs, ex seminario Ecclesiæ Iesu Christi, sentina conciliabuli Satanæ; ex sanctissima doctrinæ & virtutum officina, sceleratissima ignorantiæ & Bachi popina; ex collegijs hominum pietate atque eruditione insignium, colluvies ignavorum, gula, pene, luxu, perditorum fraterculorum effingeretur: quorum execranda ruditas, improbitas abominanda, piandumque flagitium quicquid usquam est bonarum artium & linguarum ex omni hominum memoria, cum generis nostri & dedecore summo & detrimento incomparabili, profligasset, nisi Opt. Max. nostri misertus, Monachis vino atque venere sepultis, Canonicis stupra & honores obsidentibus, orbi Christiano

stiano vigilasset, effecisseq́, ut præstantes in Repub. viri, Academias passim per Italiam, Germaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam aperirent; in quibus literæ vel excolerentur, vel certè in librorum custodia, veluti in cophinis, suo tempore depromendæ, asservarentur, & hinc in posteros dimanarent. Quas tanti fecerunt, ut non professoribus solum & studiosis privilegia, quæ virtutis præmia, non autem turpitudinis integumenta essent, liberaliter indulgerent: quibus ipsi ab injuria tuti nec pignorationum legibus subÿcerentur, nec ad aliud, quam ejus, qui Universitatis primus est, qui Rector appellatur, cuiq́ æqualis Principi dignitas attributa est, trahi judicium possent: sed præmijs quoque & honoribus docentes decorarent, opibus cumularent, mirificè colerent, & sacrosanctè defenderent. Age verò, Constantine Imperator magne, age exurge, atq́ tuum in Academias, sine quibus Ecclesias stare nullas posse judicabas, favorem: tuum in Abladium Philosophum, quem cum filio Constantio Imperij Romani rectorem constituebas, amorem: tuam in Sosipatrum Oratorem, quem in maximo precio habebas, clementiam nobis ostende. In vitam redi Sigismunde quarte, atq́ istum, quo doctos homines impensè fovisti, ac amplissimis dignitatibus exornasti, animum tuum in frequentissimũ hanc doctissimorũ hominum consessum affer. Tu quoq́ Maxime Æmyliane, Cæsarum Germanorum ex Austriaca domo primum

decus, nobis non grauaberis adesse, cujus ductu atq; auspicijs, Latinæ, Græcæ Hebraicæq; literæ, elegantioresq; disciplinæ in communi patria nostra quasi renatæ paullatim excreverunt, donec tandem vi atq; impetu quodam perrumperent: qui bona studia honestissimè tractasti, qui disciplinas animitus amavisti, & præcipuo quodam honore affecisti. Nam quid conducam huc, Auditores, Carolum Magnum, qui Parisien-
A.C. 791 sem & Ticinensem & Patavinam: quid Fridericum 2. Imperatorem, qui Vienensem: quid Da-
1237. gobertum Franciæ regem, qui Erphordiensem:
1301. quid Ioannem Albertumquè Duces Megapolita-
1419. nos, & Senatum Rostochiensem, qui hanc nostram:
1426. Quid Ioannem, Ducem Barbantiæ, qui Lovaniensem: Quid Albertum Austriacum, qui Friburgensem
1460. Brisgojæ: quid Eberhardum Barbatum, qui Tybin-
1477. gensem: quid Ludoicum divitem, Bavarum, qui
1479. Ingolstadiensem: quid Fridericum 1. Saxoniæ Se-
1502. ptemvirum, qui Witebergensem: quid cæteros meritis & factis clarissimos heroas, qui in diversis mundi partibus alias atque alias Academias magnificis sumtibus condiderunt, ijsquè tanquam preciosissimo thesauro, vnde sibi ac toti posteritati, ad honorem Dei, ad Ecclesiæ atque Reipub. utilitatem, ad ditionis suæ celebritatem profutura depromerentur ornamenta, vehementer delectati fuerunt? Qua quidem in re præstantissimi illi viri antiquitatis exemplum, & repetitam ex memoria veteri in doctos benevo-

benevolentiam imitati sunt. Nihil dico de Luculli in omnes eruditos liberalitate. taceo Antonini Pij in eosdem benignitatem. mitto Adriani in Athenienſem Academiam magnificentiam. ſileo Scipionis Africani in literas, quarum Archea, crepidatus etiam, inter difficilima belli ſtudia, frequentare ſolitus eſt, humanitatem. Te, Pompei Magne, te quis non jure miretur? tu enim, cum clariſſimam à potentiſſimo Rege Mithridate victoriam reportaſſes, non ſolum Cratippum Athenis, Rhodi artium liberalium doctores audiviſti, auditosq; regiis muneribus beaſti: ſed & Poſſidonij fortè ægrotãtis ædibus eos ſubmiſiſti faſces, quibus ſe occidens oriensq; ſubmiſerat. O verè magnum atq; eximium factum! Pompejum illum magnum, non alicujus pagi aut trium capellarum gubernatorem, ſed Romani imperij; cujus majeſtas ijſdem ferè, quibus antiquus hic orbis, tùm continebatur terminis; moderatorem ac præſidem, hominem de ſchola feciſſe tanti, ut depoſitis imperij faſcibus, id ipſius tenuitati tribueret, quod nec potentiæ Pyrrhi, nec ulli Regum maximo ab ullo Imperatore tributum fuit. O verè magni viri magnum & eximium atq; æternandum factum! At nos ubi hodie ſumus, Auditores! ubi terrarum vivimus! Annibal, trux ille Afer, cum Gilonem in frequente ſenatu de loco detraxiſſet, & ſe ipſi violenter antetuliſſet, juſſus impudentiæ illius tàm effrenatæ cauſam dicere, non minus ſalsè quàm ſuperbè reſpondit: hominem ſe eſſe militarem,

rem ignorantem leges civiles. Fuerunt, Auditores, omnibus temporibus, & sunt, & erunt deinceps, Annibalis quam plurimi similes, literarum hostes, qui studia hæc nostra, quibus nec à Deo melius dari, nec ab hominibus majus optari potest, contemnunt, & Academias, tàm necessarium orbi κφμήλιον evertere, conantur, nihil pensi ducentes, quod ab ijs suam fortunam, atq; eam, quam ingratissimi oppugnant, eruditionem hauserint. De qua re cum semper doctorum querelæ extiterunt, tum ex multis unum Rebuffum, Iurisconsultum illustrem, si placet, audiamus. Per n. quàm indigne fert, esse multos, qui contra Universitates, quas apud se habent, insurgant, non agnoscentes, quid honoris bonivè per eas accedat: horum naturã, ait, filijs viperarum esse similem, quæ partu filiorum, corrosis à fœtu lateribus, eviscerantur. hæc Rebuffus. Et profectò, quam inflammati illius odij caussam putabimus aliam, nisi vasti & elati animi insolentiam, nec quantum emolumenti in genus humanum ex Academijs redundet, ponderantem, & omnes leges, omnia jura, omnem humanitatem ex alto despicientem, & pedibus immanissimis proculcantem? Quam dissimilis, quàm aliena fuit ab hac turpitudine, ô dive Vldarice, tua ratio atq; via! Tu noveras tantum præsidij & splendoris accedere ijs, qui cum imperio sunt, quantum studij & operæ ponant in fovendis literis; quæ, rumpatur quisquis rumpitur invidia, rerum humanarum dominæ sunt. Tibi persuasum erat, non ornandas

nandas solum, sed & amplificandas esse Academias. Tu noveras, neglectis vel deletis scholis nullam unquam Rempub: diu stetisse aut stare potuisse. Tibi proprium erat, te Patronum & Cancellarium scire esse hujus Academiæ, & ad te tuumq; nomen pertinere, non, ut tanquam prædo aliquis nefarius, patrimonium dignitatis Academiæ diriperes, sed quasi parens bonus aut fidelis tutor defenderes & propugnares. Tibi exploratum erat, nervos Academiæ in coercitione, in disciplina, in morum honestatis custodia consistere; quæ si vis aut Tyrannis, aut callida quædam juris interpretatio exterminasset, ab ea statum & incolumitatem & vitam Reip. literariæ miserrimè debilitari & quasi uno ictu excindi. Atq; hæc omnia non in cerebro, tanquã in vagina gladiũ, concluſa habuisti, sed opere quoque atq; egregijs tuis istis in hanc Academiã factis comprobasti. Tu cũ divo Ioanne Alberto fratre tuo, Principe heroico, propemodũ collapsam quondã Academiã hanc restauraſtis. tu eodẽ adjutore Professores vestros salarijs & proventibus cumulavistis. tu eodem adjutore, quos ornaveratis, perpetua benevolentia sincerè complexi estis. Quis a. mores Academiæ honestos cõservavit, labentes confirmavit, afflictos excitavit? divus Vldaricus. quis disciplinæ fasces à ferocia atq; audacia contaminari non est passus? quis barbariẽ, quis luxum, quis digladiandi libidinẽ ab hujus Academiæ mœnibus exulare jussit? divus Vldaricus. Quis pro legum nostrarum auctoritate, quis pro optimorum studiorum

1554. 1563.

ineolumitatc, quis pro Academiæ salute adeò pie, adeò prudenter, adeò sollicitè excubias semper egit? divus Vldaricus. Itaq; tuum, Princeps Vldarice, nomen, cum fundatoribus hujus Academiæ & conservatoribus atq; Patronis cæteris, cum clarissimis majoribus tuis, cum amplissimo hujus urbis Senatu, nutritio & compatrono Academiæ hujus beneficentissimo, cum Imperatoribus, Regibus, Ducibus, cum Rebuspub. quarum in Academias merita extant, in æterna erit benedictione: & quam diu fuerint, qui vel literas norunt, vel scientias atq; bonas artes docent, tamdiu memoria vestri inviolata conservabitur: cum contra Nerones, Caligulas, Iulianos Apostatas, Annibales, Academiarum hostes, bonorum Tyrannos, disciplinæ corruptores, legũ prædones & contemtores, infamia, dum Musæ erunt, comitabitur, & facta ipsorum immanissima, intolerabili ambitioni copulata, in secula futura transcribet: quin ipsa studijs humanioribus congenita veritas, vel evulsa lingua, spiritu ipso turpitudinem illorum incesset, atq; furijs ultricibus perpetuo conscientiæ ardore & æternis suppliciis vivos mortuosq; mactandos mancipabit. Sed erunt fortasse, Auditores, qui judicabunt, me longius provectum, atq; hujus temporis ratio postulare videbatur. Ego vero statuo, maximam à me commemorandi copiam prætermissam, majorem adhuc restare. Nam quid prædicem eam beatissimi Principis pietatem, quæ in Deum & Ecclesiam tanta in eo fuit, ut excellentes ac divinos homines

homines majores suos, rerum gestarum virtutumq; fama super æthera notos, hac una re lectissimus Princeps longissimè superaverit. stupet admiratione tantæ rei perculsa mens; orationis ipsius acies, inusitato illius fulgore quasi obstupefacta, ut ejus dignitatem possit cõsequi, veretur. Dicam tamen, ut potero, & verbo, si potero dicam, auditores clarissimi & ornatissimi. vos non ex oratione, sed ex natura rem penditote. Natus erat lectissimus Princeps felicissimis temporibus, quibus Doctrina verbi divini, Megalandri Lutheri ministerio, divinitus repurgari ceperat: sed ita natus erat, ut & domi & foris aures ipsius præceptis pontificio fermento inquinatis personarent. Ex his tenebris, ex hoc traditionum humanarum carcere Deus admirando planè opere eduxit Principem, non illum quidem obstinatè reluctantem, sed animo auctorem salutis cupidissimo sequentem. O rem magnam atq; incredibilem! ô factum egregium! Æquaverat lectissimus Princeps magnanimitate ac prudentia majorum facta & laudes: nunc quodammodo se major factus est: &, cum neminem haberet, cum quo certamen gloriæ susciperet, cum seipso in certamen descendit, seq; ipsum, quod post hominum memoriam propè inauditum est, in eo stadio superavit? Abjecerunt sæpè homines, & in his non rarò nobiles viri, professionem vitæ, & alham, unde plus emolumenti ad se rediturum sperabant, cupidi susceperunt. hic lectissimus heros repudiata illa, quæ ad summos honorum gradus, ad ineffabilem 1527. 22. Ap. inter 2. & 3 Pō. Sverin.

effabilem potentiam, ad infinitas divitias sui cultoribus feneſtram patefacere ſolet, religione, amplectitur eam, quæ cum anguſtijs, cum difficultatibus, cum cruce conjuncta, nihil habet, in quo glorietur, externi; nullo, cui nitatur, circumſepta eſt robore; nullis honorum, opum, potentiæ, quibus ſuperbiat, præſidijs clareſcit. Venerat lectiſſimus Princeps nobilitate generis in amplißimam & regiam Ducum Megapolitanorum familiam: nunc in veræ Eccleſiæ, omnium credentium matris laudatißimæ, familiam ſe dat arrogandum. erat generis claritate, cæteris hominibus auguſtior: nunc in tam præclaro averſandi Baalitica idola ſtudio ſeipſum claritate vincit. prudentiam lectißimi Principis atq; moderationem, ſummo dignam imperio omnes mortales antea mirabantur: nũc ipſum è perplexis pontificij regni, magnitudine atq; copijs ad ſtuporem circumvallati, laqueis divinitus eluctantem vehementer admirantur exercitus ipſi cœleſtes, ſummus ille effector atq; gubernator mundi vehementius amavit. Sed quid ago? egone verbis me poſſe confidam aſſequi illam Principis Vldarici pietatem, fructu divitem, ſtudijs fœcundam, operum bonorum proventu uberem? Cujus enim in hominis pectore tàm ardens fuit, quæ omnia cœleſtia firmißimâ mentis inductione complectitur, fides? cujus à rebus humanis evocatus ad charitatem, ad Dei gloriam, ad cultum ipſius inter cives rectè diſſeminandum animus tàm incenſus fuit? è cujus unquam hominis corde,

de, Spiritus sancti radijs illustrato, tantus omnium eluxit virtutum chorus, timoris DEI, invocationis, spei, confessionis, Zeli, constantiæ, liberalitatis, beneficentiæ, tenuium & afflictorum hominum misericordiæ? O Naeburgica templa! ô Augu- 1565.
stæ Vindelicorum augusta palatia! quæ de principis, ho- 1566.
spitis quondam vestri, eximia in Deū pietate; de studio ipsius in propaganda vera religione Achilleo; de animo, sacrosancti verbi Dei amore ad miraculum inflammato, judicia multa graviaq; feciſtis! O invictiſſimi Cæsaris inusitata sapientia, sincerumq; judicium! qui cum non magis in Augustana confessione fluctuantem, quam tibi in ijs, quæ Cæsaris sunt, aduersantem Principem experiundo cognoviſti, tum citius solem à cursu suo, quam Vldaricum Ducem Megapolitanum ab ea, quam constantiſſimè tuebatur, Lutherana Evangelij professione dimoveri posse sensiſti. te denique appello tempus illud conscium consilij atque particeps, cum ad sanctiſſimum sanctiſſimæ Concordiæ opus extruendum, præcipuū illud doctorum Germaniæ lumen, David Chytræus, eligeretur. vosq; libri, qui summā orthodoxè Catholicæ doctrinæ, studio Vldarici collectā, & manu ipsius conscriptam, continetis, testes cogitationum illius divinarum. vos etiam secluſi ædium regaliū receſſus, vosque editioris sacelli arcus, vos hunc staūs diei tēporibus ex fontibus Israëlis vivificas aquas, ex spiritu Dei plenis Megalandri Lutheri scriptis vitæ gubernationisq; normam haurientem vidiſtis: vos

totius

totius ante actæ vitæ noxas ad unguem ruminantem, & cum acri doloris morsu in solius Iesu Christi merito acquiescentis omnia sua quàm exactissimè discutientem conspexistis. vos pro Christiana religione, pro patria, pro gubernatione, pro subditorum salute, pro totius vitæ cursu benè feliciterq; finiendo, cum lacrumis sæpissimè, semper cum incredibili πληροφορίᾳ gemitus, suspiria, preces ex intimis cordis penetralibus, indubitata in vindicē illū generis humani fide, eductas, studiosissimè ad Deum fundentem animadvertistis. Vos mutæ templi, quod est Gustrovij, cathedralis aræ imploro, quæ hujus pietate ex ruderibus, in quæ propemodum resederatis, ad istam magnificentiam pervenistis. quid majori vos unquam voluptate perfudit? qua in re unquā magis gestivistis? quàm si accedentem Vldaricum conspiceretis; Conspexistis autem sexcenties; & in mensa Domini cum mirifico fidei & devotionis sensu convivam exciperetis? Quanto verò, prò sancte Deus, beatissimus Princeps odio, cum omnes doctrinæ purioris corruptelas, tum Calvinianos lucifugas, & Sacramentarios tenebriones, quorum ubiq; magna seges est, qui sub pallio Lutheri, quo se integunt, religioni insidias struunt pernicioſissimas, insectatus est? at quanta liberalitatis ipsius, quanta beneficientiæ, quanta benignitatis lux oborta est his, qui verbum Dei in scholis & Ecclesiis purè docebant, qui cum inopia conflictarētur, qui in solitudine versarentur? Quod Xenodochium, quæ domus, quæ sublevandæ esset egestati ægrotorum, quod

opus

opus aliud vel ad colendam religionem, vel ad juvandos homines utile, Principis in se benignissimum animũ unquam sensit claudier? senserunt ipsius pietatem cives, cognoverũt peregrini, expertæ sunt Ecclesiæ. hũc patronum habuerunt orphani: patrem viduæ: tutorem pupilli: illi, qui omnium rerũ abundantes, Principũ minimè egere videbãtur, fidelẽ cum religionis, in cujus patrocinio vitæ cujusq; vita continetur, defensorẽ venerati sunt. Quibus prudentiæ, justiciæ, fortitudinis, moderationis, pietatis artibus id consecutus est beatissimus Princeps, ut apud Cæsarẽ, Electores, Duces, reliquosq; sacri Romani imperij ordines auctoritate, apud cives amore, apud bonos gratia, apud omnes admiratione plurimum posset: ut in rebus ordiendis felix, in agendis industrius, in perficiendis fortunatus esset: denique ut apud neminem non Deus quidam mortalis ad juvandum & ornandum genus humanum, singulari quodam dono in terras missus, haberetur. fide autem in Filium Dei, & immobili orthodoxè-catholicæ doctrinæ confessione, in qua vixit, quam omnium cogitationum, sermonum factorumq; regulam habuit, quam sub ipsum mortis articulũ, publicè repetita ordi- 1603.
natione harum Ecclesiarũ, professus est, in qua exãtla- 13. Mar.
tis septuaginta sex annorũ molestijs, placidissimè expi- 1603.
ravit, tanquam alis in cœlum hoc die, qui vitæ ipsius 14. Mar.
cœlestis & æternæ natalis est, sublatus, quatuor maxima nobis bona reliquit, memoriam sui immortalem, pacem florentissimam, cultum religionis sincerissimum,

& bo-

& horum omnium protectorem & amplificatorem clarißimum. O beatum te Vldaricum! qui rectè credendo in ijs nunc versaris templis, ubi animi perpetuis conspectus sacro sanctæ Trinitatis fructibus cumulantur: ubi aures nablijs & concentibus, immensam Dei in genus humanum bonitatem prædicantibus, mirificè circumsonant: ubi tu cœlestium voluptatum, quibus in sempiternum tempus perfrueris, magnitudine & copia, Davidi, Iosaphato, Ezechiæ, alijsquè sanctis heroibus immixtus, abundè affluis, securus sine trepidatione, sanus sine ægrotatione, pulcer sine labe, satur sine fastidio! O te felicem! qui ita à nobis hinc discessisti, ut tot Reges, tot Principes, tot Duces, tot clarißimas, Daniæ, Angliæ, Scotiæ, Saxoniæ septemvirali, Guelphorum Ducatui, Holsatiæ, Episcopæ Sverinensi, potentißimis orbis Christiani regnis & nobilißimis provincijs, imperantes hoc tempore animas reliqueris; quæ te patrem, quæ avum, quæ proavum, quæ socerum magnum, desideratißimis salutent vocibus! O te iterum iterumq; beatum, qui non solum religionis puritatem, qui omnia pacis ornamenta & præsidia, sed fratrem tuum, non minore sapientia & consilio principem, Reverendißimum atq; Illustrißimum Dn. CAROLVM, Episcopatus Razeburgensis propræsulem, Ducem Megapolitanum, nobis reliquisti: qui summa pietate, summa prudentia, summis ingenij viribus Rempub. administrat ut; tu non à nobis emigrasse, sed in hujus

præstan.

præstantißimi Principis corpus immigrasse, & in hoc patre patriæ, Ecclesiarum nutritio, Academiæ & scholarum patrono, justiciæ oculo, æquitatis condo promo, probitatis defensore, iniquitatis ultore, viduarũ tutela, pacis deliciis, bonorum omnium amore, vivere certißimè credaris. Tuq; ô supreme pater atq; Princeps, hujus Vniversitatis gubernator, si tua est religio, quam colimus, si verè populus tuus Filij tui abluti sanguine sumus, si verè inter nos in verbo tuo & venerandis Sacramentis habitas; lætus complectere illorum, quæ à divo Vldarico relicta sunt, bonorũ conservatorem & protectorem Celsißimum Ducem Carolum, egregia voluntate & excellenti virtute Principem: Reginam Daniæ serenißimam, & Illustrißimam ANNAM POMERANICAM, viduas, quæ huic Academiæ faciunt benè & cupiunt benè, incolumes & salvas conserva: tuere illustrißimos Dominos Fridericũ, Adolphum & Ioannem Albertum, Duces Megapolitanos Principes juventutis, quorum in exspectatione florentißimus hic Ducatus sustentatur: custodi hanc Academiam & urbẽ: ab omni Germania famem, cædem, flammam, pestem, pericula averte: & nobis omnibus, qui facta VLDARICI beatißimi Principis recolimus, eam mentem injice, ut tuo illustrati Spiritu fidem nostrã ipsius exemplo augeamus, mores & vitam ipsius instituto edocti quisq; pro sua vocatione informemus, quo hujus miseræ vitæ curriculo confecto ad eandem pervenientes metam, sempiternam coronam tuo concessu & munere capiamus.

IN EIVSDEM PRINCIPIS OBITVM, LESSVS.

CVm furtim claro sceleratum maximus ensem
Scipiades jugulo acciperet; morsque illa per Urbem
Sparsa Metellorum funesta veniret ad aures;
Tanta cæde viri, Macedonicus, obstupefactus,
Evolat in medias fœdatus pectora turbas,
Et casus Romæ secum indignatus acerbos,
O cives, cives, concurrite! mœnia nostræ
Sunt eversa urbis; concurrite! clamat, & altis
Omne forum Romanũ & quæstibus aëra cõplet.
Eheu! quid querar? heu! cives concurrite! cives
O cives concurrite! concidit, occidit, eheu!
Ille Pater patriæ, sacrum illud Relligionis
Præsidium: Decoris tutela; & regula recti:
Iustitiæ gladius: Germani clara corona
Orbis: consilij prudens thesaurus: avorum
Splendor: Pegasidum scutum: Pietatis asylum:
Augustus Pacis cultor: scelerumq; severa
Vltio: clementis speculum ingenij atq; pudoris,
Occidit! occidit! heu concurrite! Dux Huldricus.

Quid

Quid gen' & proavi, quid sancti cultus & ardor,
Quid labor & benefacta juvant; si pallida sævo
Pollice mors metis omnia? Tu, Dux Maxime,
Majores, quos oræ Asiæ, quos Itala tellus, (reges
Et, quæ longinquos extendit, Iberia, fines,
Extimuit, numeras centena à stirpe, Alaricum,
Anthyrium atq; alios, Pribslaum deniq;, fortis
Quem Leo divino tingi baptismate fecit, (ceps.
Vnde uno es decimusq; & tertius ordine Prin-
Quid memoré Matris generosæ stemmata? Ianũ
Quis nescit? qui vel tria maxima regna sub oris;
Arctous tardo quas spectat ab axe Bootes;
Danorum & Suecorum & quas Norvegia terras
Indigetat, tenuit felici numine: Rutæ
Custodem Ernestum; quem septem dia virorum
Gloria per latum curru vehit alite mundum;
Quis nescit? cui non est Marchica cognita tellus,
Et IOAchimi Electoris non cognita virtus?
Quo dicente Albis trepidabat: quoque tonante
Liburnus Princeps, Latius nostrâsq; stupebat?
Quis Quintũ Albertum: qui postquam est gloriã
Imperij, rebus claris virtuteq; nulli (adeptus
Cedens, Cæsarea serie hoc flagitante, Secundus
Dictus? Misniacos & Bojo sanguine cretos
Heroas? quis SIsmundum, Constantia sub quo
Concilium vidit, nescit? majoribus istis
HVLdricus gaudet: nec tutum ea copia tantum
Heroa hunc potuit præstare à limine mortis!

O cives, cives, concurrite! concidit, eheu!
Ille pater patriæ: concurrite! Dux HVLdricus!
Quid memorẽ? quæ jura thori, quæ fœdera Princeps
Huldricus cum divâ, opibusq; ac lumine magni
Ingenij præstanti junxerit Elisabetha;
Cimbrorum Elisabethâ natâ sanguine Regum;
Quamq; illud fuerit felix, sanctum atq; secundũ
Conjugium? Sophiã quod protulit, armipotenti
Olim FRIdrico sociatam; Dania forti
Cui regi quondam Mavortia paruit, at nunc
Degentem viduam socio sine compare vitam:
Quæ, ceu luxurians foliis, fœtuq; gravescens
Vitis, in innumeras cepit se effundere stirpes,
Aspectante patre Huldrico: quem Dania dives,
Quem felix Scotus, quẽ Saxo Elector, & ingens
Cũ magno Holsato Guelphus jam tum; ô pia fata!
Nomine dulcis avi vivum proaviq; vocabant.
Nec tutum tot regali de gente nepotes
Præstare Heroa hunc potuêre à limine mortis!
O cives, cives concurrite! concidit, eheu!
Ille Pater patriæ! concurrite! Dux Huldricus!
Pro patria quantos hausisti HVLdrice labores?
Dum sanctas Themidos leges & jura tueris:
Dum justos sanctè defendis: grandia ad ensem
Crimina dum damnas: augustæ munia pacis
Dum toti servas orbi, quem cura Rodolphi
Cæsaris imperio tibi subdidit; ardua magno

Dum

Dum tractas æquasq; labore negotia! terris
VVestphalicis hostẽ dũ avertis, & optima nobis
Vt pax sit, nulli vel curæ parcis & auro?
Nec tutum Themidos leges, nec jura, nec orbis
Heroa hunc potuit præstare à limine mortis!
O cives! cives! concurrite! concidit eheu!
Ille pater patriæ! concurrite! Dux Huldricus!
Quãtis nos omnes cumulasti, Huldrice? loquetur
Hoc rosea urbs, dubio quę sub discrimine magnũ
Clementemq; animũ sensit: fora, curia, & aulæ,
Atq; etiam, pressit quotquot discordia, Reges,
Hoc Varnus, rosei subsellia docta Lycei
Hoc dicent: roseus dum cernet pulpita Varnus,
Dumq; erit, Aonijs qui fontibus irriget ora,
Laus nomenq; tuũ, Princeps Huldrice, manebũt!
Nec benefacta, nec Aonides, nec gratia tutum
Præstare Heroa hunc potuêre â limine mortis.
O cives, cives, concurrite! concidit, eheu!
Ille Pater patriæ! concurrite! Dux Huldricus!
At quanta, ô Princeps, sunt ista, Huldrice? colũna
Doctrinæ veræ Christi, quod regula legum
Sanctarum fueris? fremat orbis & orcus & ipsa
Sus Romana: tuas ô dive HVLDrice, nec orbis
Nec cœlum capiet laudes! Babylonica fraudes
Quas rabies toto dispersérat orbe, parentis
Quas virtus patruiq; odit, pietate fugasti,
Dive, tua, & penitus Papatum hoc orbe pulisti.
Tristia quàm passim nunc sint hæc tempora, latè

Calvus ubi regnat, vel Turcus dira minatur,
Callida, vel, mundi meretrix Babylonica, Reges
Quæ sibi subjecit, quò vis pertingere non quit,
Assuit, hei, fraudes, & mille venena propinat,
Non metuenda unquam nobis te Principe vivo.
Nec tamen hæc pietas, hæc cura, hic Principis ar-
Heroa hûc potuit præstare à morte securũ! (dor,
O cives, cives, concurrite! concidit, eheu!
Ille Pater patriæ! concurrite! Dux HVLDricus!
Ergo illum deflent tot reges, totq; nepotes,
Filia cum Guelpho, cum Holsato, Dania & omnis
Saxonia: & tristes lacrymarum flumina mittunt.
Luget & ipsa Aquila: luget Germania: luget
Anglia: magnanimo cumprimis nata Philippo
Feminei decus, Anna, chori princepsq; mariti
Fata, inter luctus ingentes, deflet acerbè,
Seq; mori pro tàm caro capite ipsa præoptat
Addit se sociam & suffundens lumina fletu
Mœsta suam sortem miseratur, Patria, acerbam.
Nec tamẽ hæc pietas, nõ fletus, nõ lacrumæ ullæ,
Præstare heroa hunc potuere à morte securum!
O Cives, Cives concurrite! concidit, eheu!
Ille pater patriæ, concurrite; Dux Huldricus!
At tu, quo solo res nostræ stantq; caduntq;
Maxime Rex, Regum Rector, succurrito nostris
His miseris rebus! tibi supplicat ara, lyceum,
Curia: tu nostri blandus miserere: jacentes
Erige: prostratos releva: luctuq; solutos

Collige

Collige: tu fasces, quos CAROlus accipit, ipse
Rex rege: & hunc, Herulo qui Carolus imperat orbi,
Atq; Duces juvenes geminos, Megapolis in quos
Ac Herulũ propè jam domus inclinata recumbit,
In longam duc felices, Deus alme, senectam!

I. S.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0135
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn747095485/phys_0136
DFG

los impietatis & nequitiæ cœn… gis, &
radio cœlesti illustratos ad pi… ipsum
contemplandum cognoscendu… totius
vitæ magistra es! tu benè bea… culum!
sine te misera esset hominum … e socie-
tas leonina, consortiũ cum hor… & im-
mane! tu corpora nostra sana… tu lin-
guam tu mores formas! tuo … at Eccle
sia, stant Politiæ, stat ipse muna… r omnes
boni, te pascantur, te perfr… uo stu-
dio nihil utilius, tuo comm… s: tuo
beneficio nihil ducius, nih… amœ-
nius. Quod bonum cum … ademiæ
clementer hactenus conserva… liocrem
nobis hoc semestri tranquilli… , cùm
omnes, tum ego imprimis g… erenter
tantum beneficium agnosco, … publi-
ca prædico: eundemq; ex im… ralibus
oro & rogo, ut Academiam … serva-
tores & membra defendend… semper
suscipiat, &, quæ est ipsius p… ter nos
conservet & colligat semen sa… c rectè
agnoscatur ac colatur, & in… elebre-
tur. Deinde multam me quoq; … tum Il-
lustrissimo & Magnificentissim… mino,
Dn. Vldarico, Stetinensiun… , Cas-
subiorum & Vandalorum D… no cle-
mentissimo, tum Patribus … erendis
… Cl. &

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747095485/phys_0141
DFG